HYPOMNEMATA, IN MALACHIAM PROPHETAM, TRADITA IN BASILIENSI

Academia: quibus adjunctæ sunt Theses Analyticę, de Epistola Pauli Apostoli ad Galatas, de quibus in Scholis Theologorum disputatum fuit, auctore

IOHANNE IACOBO GRYNAEO.

2. Corinth. 2. 17.
Non enim ut pleriq, cauponamur sermonem Dei, sed ut ex sinceritate, sed ut ex Deo, in conspectu Dei, de Christo loquimur.







Apud inclytam Germaniæ Basileam,
Typis Leonhardi Ostenij, 1583.

MAGNIFICO VIRO, SPLENDORE GENERIS, VIRTVTVM ET SAPIENTIAE laude præstantissimo, Dn. EBERHARDO MOLLER, inclytæ Reipub. Hamburgensis Consuli, Domino suo obseruando, IOHANNES Iacobus Grynæus S. P. D.

EXTAT *apud Xenophontem Socrates & Euthydemi colloquium, de Prouidentia & de Dei Opt. Max. erga hominum genus amore, cuius initiũ facit Socrates hac interrogatione vtens: Nunquam ne, ô Euthydeme, in mentẽ tibi venit, quã diligenter Dij, ea omnia quibus hominib. opus est, præparauerint, & eisdem quotidiè vbertim subministrent? Respondet Euthydemus, Nunquã id sibi succurrisse: vt multò maxima pars hominum, Epicurea vanitate fascinata, omnia temerè & casu ferri & fieri opinatur: nec quid Deus quotidiè agat & præstet, animaduertit.*

Ibi Socrates, qui suos Auditores & Colloquutores εὐσεβεστέρους καὶ σωφρονεστέρους *reddere præcipuo studio habebat, pulcerrima inductione adhibita, Prouidentiam &* φιλανθρωπίαν *Dei rectè colligere cœpit. Ea quum longiuscula sit, Syllogismi centro spacioq́, sententiam eius, breuiter initiò circumscribã: ac quódnam præsentiæ gratiæ Dei documẽtum, mihi in Theatro Academico versanti, magno solatio sit, & dolores non mediocriter leniat, secundo loco, ad Dei gloriam indicabo.*

Consentaneum est Dei prouidentia omnia administrari, & Deũ φιλάνθρωπον *esse, si quidem is humano generi, omnia quæ ad vitæ huius conseruationem cultumq́ faciunt, larga manu subministrat: nec aliud à nobis iure optimo postulat, quàm ut Numinis beneficentissimi, optimi, sapientissimi, iustissimiq́ agnitionem cultumq́ homines studiosè &* κατὰ δύναμιν *coniungant.*

Atqui Deus, omnia vitæ huius tuendæ & ornandæ præsidia & adminicula larga manu suppeditat toti humano generi. In eorũ numero sunt, Lux naturale solatium, ut ait Curtius, quæ hoc etiã præ-

ſtat, ne nihil interſit inter cæcos & videntes: Quies, cui (ſententia Principis Peripateticorum, omnes vitæ humanæ occupationes τῶν πόνων καὶ τῆς ἀναπαύσεως definientis) nox potiſſimum deſtinata eſt: quemadmodum τῶν πόνων, dies: Aqua, qua non ſolùm terra rigatur: plantæ & Arbores aluntur: ſed etiam eſculenta, quibus homines veſcũtur, συγκατεργάζεταί τε καὶ ὠφελιμώτερα & ſuauiora redduntur. Ignis: quẽ Socrates ſcitè vocat ἐπίκουρον ψύχους καὶ σκότους et συνεργὸν πρὸς πᾶσαν τέχνην: & ea omnia præparanda, quibus homini opus eſt: Solis motus regularis, lucis, æſtus, frigoris moderator: calore ſuo terram, & quæ ex ea naſcuntur, & animantia fouens.

Hæc quum dixiſſet Socrates, interfatus nonnihil Euthydemus, ait: ἤδη τοῦτο σκοπῶ, εἰ ἄρα τί ἐστι θεοῖς ἔργον, ἢ ἀνθρώπους θεραπεύειν: Sed hoc mihi de Dei erga homines amore cogitanti ſcrupulum parit, quòd illa quorum meminiſti nobis magna ex parte cum belluis ſunt communia. Non igitur maiore cura noſtri Deus ducitur, quàm brutorum animantium.

Reſpondet Socrates per ἀντιναγωγὴν, Quum omnia animantium genera, hominum cauſſa condita ſint, gignantur & alantur, quis nõ videat homines Deo præcipuæ curæ eſſe? Deinde, quis non intelligat, nequaquã cætera animantia tot tantiſq; bonis & commodis vti & frui, quot hominum vſibus & oblectationi ſeruiunt? τί γὰρ ἄλλο ζῷον αἰγῶν τε καὶ ὑῶν, καὶ ἵππων, καὶ βοῶν, καὶ ὄνων, καὶ τῶν ἄλλων ζώων τοσαῦτα ἀγαθὰ ἀπολαύει, ὅσα ἄνθρωποι. Ab his etiã ferè maior ad homines vtilitas redit, quàm à multis alijs, quæ è terra naſcuntur: nam his omnibus quidam non ita vt illis vtuntur. Suppeditant autem quædam animalia lac, butyrum, caſeum, carnes, lanam, pelles: quædam verò importandis & exportandis neceſſarijs rebus, pacis belliq; temporibus, vſibus & neceſſitati hominum ſeruire coguntur.

Pergit deinde Socrates in illa commemoratione, & oſtendit, in hominum natura præcipuè τὸ προνοητικὸν lucere & conſpici. Etenim quũ multa & inter ſe diſtincta bona ſint, indidit deus homini αἰσθήσεις ἁρμοττούσας πρὸς ἕκαστα, δι᾽ ὧν ἀπολαύομεν πάντων τῶν ἀγαθῶν. Idem Ratione & intelligentia Mentis, hominem excellere voluit, qua numinis cuiuſdam inſtar, longè vincit inferiorum ordinum Creaturas, rationis expertes. Præclarè autem dicit Socrates: τὸ δὲ καὶ λογισμὸν

ἡμῖν

ἡμῖν ἐμφῦσαι, οἷς περὶ ὧν αἰσθανόμεθα, λογιζόμενοί τε καὶ μνημονεύοντες καταμανθάνομεν ὅπῃ ἕκαστα συμφέρει, καὶ πολλὰ μηχανώμεθα, δι' ὧν τῶν τε ἀγαθῶν ἀπολαύομεν, καὶ τὰ κακὰ ἀλεξόμεθα. Addidit Deus Menti facundum interpretem Sermonem, qui linguæ plectro utitur, de quo Socrates: τὸ δὲ καὶ ἑρμηνείαν δοῦναι, δι' ἧς πάντων τῶν ἀγαθῶν μεταδίδομέν τε ἀλλήλοις διδάσκοντες, καὶ κοινωνοῦμεν, καὶ νόμους τιθέμεθα, καὶ πολιτευόμεθα. His testimonijs conuictus Euthydemus, fatetur Deos magna hominum cura affici. Socrates autem quum illum eò adductum videret, ut iam non dubitaret de Prouidentia, auctor illi est, ut ne curiosè τὰς τῶν θεῶν μορφάς, sed potius eorum τὰ ἔργα, videat & perpendat, Deosque reuerentiæ cultu prosequatur. Addit autem, (omissa nomenclatura Deorum, quum sit impium figmentum ἡ πολυθεΐα) in fine τῆς συζητήσεως elegans dictum de Monarcha Deo. καὶ ὁ τὸν ὅλον κόσμον συντάττων τε καὶ συνέχων, ἐν ᾧ πάντα καλὰ καὶ ἀγαθά ἐστι, καὶ ἀεὶ μὲν χρωμένοις ἀτριβῆ τε καὶ ὑγιῆ καὶ ἀγήρατα παρέχων, θᾶττον ἢ νοήματος ἀναμαρτήτως παρέχων, οὗτος τὰ μέγιστα μὲν πράττων ὁρᾶται, τάδε οἰκονομῶν, ἀόρατος ἡμῖν ἐστι. Ideò autem magnopere mihi probatur illa Socratis sententia, quoniam ea respondet oraculo Apostolico: Id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis: Deus enim eis manifestum fecit. Ipsius enim inuisibilia, dum ex rebus conditis intelliguntur, ex creatione mundi perspiciuntur, æterna videlicet eius tum potentia tum diuinitas: ad hoc ut sint ipsi inexcusabiles, Rom. 1. 19. 20.

Quare, quum etiam Ethnicum hominem in illa de prouidentia dissertatione, eousque progressum videamus, cum Paulo Apostolo firmiter statuamus, Dei prouidentia res humanas præcipuè gubernari, Deum hominum amantem esse, atque id testatum facere benefaciendo, quum det cœlitus pluuias ac tempora fructifera, & impleat cibo & lætitia corda nostra, Act. 14. 17.

Quòd si mihi, hac nostra tempestate, negocium sit cum querulo aliquo καὶ μεμψιμοίρῳ homine, qui confusionum rerum humanarũ tristi & tragico spectaculo, tanquam spectro καὶ μορμολυκείῳ, attonitus & stupefactus, & acerbo ærumnarum sensu irritatus, nec quid boni in rebus humanis, in Ecclesia, in Republ. in Oeconomijs, denique & in Academijs, Dei beneficio supersit, videre potest, eoque nomine sal

so opinatur, nulla rerum humanarum cura Deum duci: Eum ego, ad manifestorum, praesentiae Dei in humano genere & propitiae prouidẽtiae, documentorum, considerationem, vel hac vna ratione (ut iam multas alias consultò praetermittam) reuocandum esse iudicarem.

Non equidem sine mente & sine numine Christi Iesu Domini nostri, regnantis ad dexteram aeterni Patris, conferuntur praeclara & salutaria dona piae & ingeniosae Iuuentuti: sed eo consilio, ut Deo grata & Ecclesiae ac Reipub. salutaria & necessaria, tum agantur, tum etiam doceantur: & vt illa rectè cognita a discentibus, publico bono seruiant ad seram vsq. posteritatem.

Atqui res ipsa testatur, Filium Dei donis amplissimis & Ecclesiae ac Reipub. tum necessarijs tum etiam salutaribus, hoc tempore instruere & ornare multos optimè moratos & pietatis amantissimos Iuuenes, qui cũ honestissimis Musis, Charites verè Christianas, praelucente virisq. fide & agnitione Mediatoris Christi, prudenter & feliciter coniunxerunt.

Enimuerò, vt de me ipso, id quod res est, Christo Iesu, qui χαρδιογνώστης est, conscio, profitear, In magnis aerumnis & laboribus, quib. Deo visum est me paternè castigare, & officij commonefacere: saepenumerò leuationem & mitigationem dolorum sensi, quum animaduerterem, Deum omnis boni & sapientiae fontem perennem, sincerae Theologiae, Ciuilis Prudentiae, Artis Medicae & Philosophiae, linguarum & artium praeclarum & multiplex depositum asseruandũ & ad vsum traducendum credere lectissimis & florentissimis Iuuenibus: de quibus multis ad Deum votis & euphemismis tacitè corũ caussa profusis, mihi persuadeo, fideles custodes fore sanae doctrinae: integros & incorruptos νομοφύλακας: felices in facienda medicina prouidentiae diuinae administros: deniq. bonae fidei promos & condos seuerioris & solidae Philosophiae & Philologiae.

Itaq., vt maximè Iosephi contritionem lugeamus, & Ecclesiae, Reipub. & Academiarum vulnera, Oeconomiarum perturbationes, piorum consiliorum & cõatuum remoras sentiamus & experiamur: tamen spem, velut sacram anchoram retineamus: nec dubitemus, futurum, vt Deus piae Iuuentuti efflorescenti animi & corporis dotibus & praesidijs θεοπέμπτοις, dexter adsit: & eius opera vtatur ad

gloriam suam & Reipubl. Christianæ vtilitatem. Præclara enim talenta Seruis suis Dominus ideò committit, vt quæstum liberalem facientem ad Dei gloriam & multorum instaurationem, σὺν θεῷ facientes, eius consilio constanter, fideliter, feliciter, & eleganter inseruiant.

De hoc propitiæ Dei prouidentiæ testimonio, ut hoc tempore ad te, Magnifice Domine Cõsul, scriberẽ, occasionẽ mihi præbuit filius tuus neutiquã te, viro præstantißimo, Patre ἀνάξιος, D. VINCENTIVS qui quũ nõ ita pridè è laudatißimo sacratißimoq́; Amphictyonum Spirensium theatro, in nostram Academiã Basiliensem, vnà cũ clarißimo & eruditißimo viro, D. ALBERTO Tuestrẽgh, Doctore Artis Medicæ & Philosophiæ, reuersus esset: non solum (viro integerrimo & consultißimo, Domino Basilio Amerbachio I. C. iudice) in sacris illis opertaneis, quæ δοκιμασίας χάριν instituti solent, liberales progressus in Iuris prudentiæ studio, & iudicium acre, memoriã felicem, egregiè doctißimis grauißimisq́; viris priuatim comprobauit: sed etiam in publica, frequente & acri συζητήσει, de Iure & prærogatiua plurium Creditorum in pignore vel hypotheca, doctißimis Interrogãtibus de Iure respõdendo sic satisfecit, vt ad diem 30. Maij, lege moreq́; solenni, in nostra Academia, Designatore & Hierophanta, viro Cl. D. Samuele Grynæo, I. C. patruele meo, publico Licentiati in vtroq; Iure testimonio & axiomate, vnà cum nobili genere, virtute & doctrina iuuene, D. Hippolyto à Collibus, egregio suo merito, ornatus sit.

Rectè dixit Lyricus ille: ὁ μέγας δὲ κίνδυνος ἄναλκιν οὐ φῶτα λαμβάνει. Quis autem intelligens dubitet, agonem Academicum & rem esse neutiquam vulgarem, cordatorum & eruditorum hominũ censuræ cum laude sua satisfacere: & honestißimo eorum consilio iudicioq́; eo ornari elogio, quod cum virtute coniuncta promeretur Ciuilium rerum cognitio & prudentia. Etsi autem hæc multorum annorum & negociorum ἐνδελεχισμῷ & experientia confirmanda, et etiam doctißimis hominibus probandum est illud Saluij Iuliani Iurisconsulti dictum, quod extat Pandect. lib. 40. tit de fideicommißis, l. apud Iulianum: etsi alterum pedem in sepulcro haberem, adhuc addiscere vellem. Tamen magnum quiddam est, in Ciuilis Sapien-

tiæ fundamentis ponendis felicem esse, & cum successu magno dexstrè superstruendo, ad illius ædificij culmen, ascendere: sic ut indubia spes sit futurum ut illustri colophone supremam aliquando manum addas.

Reuocauit autem ille mihi in memoriam exemplum propinqui sui, Viri clarissimi, D. EBERHARDI Tuestrengh, I. V. Licetiati, & iam inclytæ vestræ Reipub. à secretis: qui quũ superioribus annis nobiscum Basileæ iucundissimè viueret, cum iurisprudentiæ laude, veteris Historiæ exactam cognitionem & ἑρμηνευτικὴν δύναμιν in linguis diuersis, sese felicissimo fœdere coniunxisse, reipsa testatum fecit: nobisq; omnibus discedens magnum sui desiderium reliquit: constantiam verò in tuenda & fouenda amicitia sic probat, sæpe ut nobis in memoriam reuocet Adagium, quod immortales amicitias esse debere, monet.

Felix aũt est, singulari Dei dono, & Doctor ALBERTVS Tuestrengh, Medicus et Philosophus solidè doctus, q quo sæpius et diutius mecũ vixit, tantò maiori, ob eximiam doctrinæ vbertatem, iudicij acrimoniam, dicendi facultatem amœnam & promtissimam, admirationi mihi est: ac haud dubiè Medicinam faciendo Patriæ magno erit vsui et ornamento: quum reuera sit Medicus πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Exhilarauit autem me istis hybernis mensibus, quibus etiam peste apud nos grassante mecum egit, virtutum & doctrinæ laude excellens, D. IOHANNES Berndesius, quẽ Ordo Medicorũ in nostra Academia, ob egregiã doctrinã, cum pietate erga Deum, & elegantissimis moribus coniunctam, dignissimum censuit cui 4. Iunij, Doctoris Medici & Philosophi ἀξίωμα cõferret. Delector enim eiusmodi ingenijs, quæ modestia commẽdat, ac multò plura in recessu habent, quàm fronte prima præ se ferant. Quod tamen nimia propè Berndesii vestri pariter meiq; verecundia esset, sæpè Plinianum illud: Recta ingenia debilitat verecundia: peruersa autem confirmat audacia, eidem occinui.

Vt autem omnibus istis, ex toto corde meo gratulor egregia illa animi, corporis & alia bona & χαρίσματα, sic etiam laudatissimæ vestræ Reipub. ad quam non dubito fructus amplissimos, ex omniũ

illorum

illorum excellente doctrina & virtute, redituros esse: tibi verò, Magnifice Domine Consul καλλιπαιδίαν, filium tanta pietate, doctrina & virtute, gratulor: ac Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi precor, vt pro immensa sua bonitate, per omnem vitæ eorum omnium periodum, dexter eisdem adesse, consilia & actiones moderari & prosperare, ab omni malo custodire, eisq́; magis ac magis benedicere dignetur.

Visum autem mihi est, inscriptione honestissimi nominis tui, Vir clarissime, hæc mea in Malachiam Prophetam ὑπομνήματα, è prælectionib. meis utcunq; excepta & edita, exornare: vt exstaret publicũ mei erga te amoris & studij, cũ vera virtutũ, & κατορθωμάτων ciuilium, quæ tua opera inclytæ vrbi Hamburgensi, Deo præstare visum est, vera admiratione coniuncti. Existimo enim communionis sanctorum, documentum esse non illiberale, si ij quos & functionum Ciuilum & Academicarum gradus, & locorum interualla disiungũt, eundem Spiritũ in Christo Capite nostro iungere, testificatione publica amoris & obseruantiæ, declaremus.

Quod reliquum est, oro Filium Dei, qui omnium nostrum ἀγωνοθέτης καὶ βραβευτής est, vt Ecclesiam & Rempub. Hamburgensem, & te, vir præstantissime, cum tota tua familia, conseruet ad gloriam suam, Spiritu prudentiæ, iusticiæ & fortitudinis instruat: & pacem καὶ εὐνομίαν largiatur, Amen.

Ex Basiliensi Academia, Anno Christianæ Epochæ 1583. Calendis Iulij.




CAPITA DOCTRINAE THEOLOGICAE,
de quibus agitur in hisce Hypomnematis.

1. De Malachiæ Prophetæ libello. pag. 1.
2. De Oneribus Propheticis Aphorismi 7.
3. De amore Dei erga Israelem 7.
4. De superioribus principijs salutis fidelium, & exitij infidelium, Aphorismi. 10
5. Methodus de Odio Dei. 14
6. De irritis, hominum cum Deo certantiũ conatibus 18
7. De Cultus diuini intermißione & profanatione. 20
8. De noticiæ cultusq; diuini impio diuortio. 22
9. Quando populi peccata Pastorib. imputentur 25
10. De ijs qui Deo pollutum cibum offerunt 27
11. De ea impietatis specie, qua minus defertur immortali Deo, quàm mortalib. hominibus 29
12. Bonæ intentionis cultu, non placari, sed offendi Deum. 31
13. De uocatione Gentium. 33
14. Eccij Strophologia de Missa. 36
15. De ijs qui sacro Ministerio nõ ritè defunguntur 38
16. Ministris uerbi quæ nam meditanda. 39
17. De ijs qui perfunctoriè ministerio uerbi & Sacramẽtorum perfunguntur. 42
18. De Vocationis rectà cõsideratione. 49
19. De officio Docentium & Discentium. 52. 53
20. De ijs qui Ministerij uerbi pactũ uiolant. 55
21. De gloria & de contemtu, Aphorismi. 56
22. De dispari Matrimonio 57. 58
23. De familiarum periodis. 62
24. De Chrestologis Ecclesiast. 63
25. De ijs qui Deum colunt, proximum oderunt. 64
26. De impia Epicureismi defensione 69.
27. De Christo scorias ab auro secernente. 74
28. De cultu Dei, Aphorismi. 77
29. De fraude circa τὰ ἀδιάφορα. 81
30. De Decimis. 84
31. De Atheismo. 87
32. De fidelium & infidelium separatione. 92
33. Reuerâne an uerò opinione tantum honesta & inhonesta differant. 93
34. De infidelium pœnis, & fideliũ beatitate. 94
35. De Sole Iusticiæ. 95
36. De conuersione rerũ humanarũ, & de uictoria Sanctorum. 97
37. De Legis obseruatione. 98
38. Moses quot modis de Christo loquutus sit 99
39. De Ioan. Baptistæ præconio. 100
40. De Conuersione cordium. 101

ERRATA, INTER EXCUDENDUM COMMISSA (leuiculis neglectis) sic emendabit Lector.

Pag.3.lin.3 *filium orat*.6.17 *filios promissionis*. 11.37. *Sed uniuersalis*. 18.12 *Saxum*. 19.3.*intemperie affect*. *sunt pro sicut*. 21. 24 *blasphematur*.22.20 *dele*, *ei* 22.23 *ex suo præscripto*.22. 25 *à filio*. 22. 32 *in* Ecclesiam. 23. 19 *dele numerum* , & *scribe*, *quibus non præcipuè delectatur*.29 25 *aleæ*,*non aliæ*.30 15 *ipsi grata*.33.34 *neomenias lege*,*non abommationes*. 34. 23 *filiũ dictionis*.39.5 *in* Numæ Pompilij *uita*.40. 34 *nihil minus*. 41.7 *laboriosus* 48.11 *meriti* 50.14 *uiri pro ueri*. 50.18 *quas* .52. 20 *pro Alphonsus*,*lege* Aphorismis 52.28 *à cogn*.53 6 Docentiũ *lege*:*non documẽtum*,& 17.Requirere. In *eadem linea*, Legis,*non* Legẽ.22 *circumspectos*,*non cõspectos*, 23 *cauere* 54. 18 *deuinctã*.58.6 *dei*,*nõ deo* 60.3 *dele* 15.*scribe is* 61.1 *Abstineatis*. 63. 18 *quàm à uitiosis*. 20 *utilitatis*.29 *alteram*.33 *dele*,*operibus*.*scribe*,& 64.30 *dele*,*per se*.65.36 *totos*. 66.18 *è qua* 69.8 *dele id*,*scribe ad* 71. 18 *Cato is*. 33.16 *dele ueritati*,*scribe commoti*. 79.1 Astragalis & 3 *appreßione*.81.13 *de moralis*,22 *imaginationẽ* 27 *in sacrilegio*. 85.10 *utrum lege*,*uirum dele*.86.7 *annuos*. 24 *annuos*.32 *rubigine*. 91.16 *dele seruo*,*scribe serio*.93.12 *dele à*,*scribe ab*.96.38 *infantis*.102.14 Androclidis,*non* Androchidis.





Via versati sumus, iusto sanè tempore, in spirituali & modis omnib. amabili Psalmorum Paradiso: visum mihi est, σὺν θεῷ, in uberrimos cultißimosq́; Prophetarum campos vnà vobiscum Opt. Auditores, exspatiari: idq́; non eo solùm nomine, quòd etiam in S. Theologiæ studio, religiosa varietas, pias mentes mirificè afficit & delectat: sed etiam, quia inæstimabilis fructus, è Prophetarum accurata lectione, ad nos redire poterit. Lect. 1. 28. August. 1582.

Propositum autem mihi est, Malachiæ prophetæ libellum, κὰδ δύναμιν, fideliter & diligenter explicare: vt si quidem, peste hoc tempore nos affligente, Deus me superstitem esse velit, vnà vobiscum sacrosancti nominis ipsius sanctificationi seruire pergam: sin verò ille me, è terrena hac Academia in cœlestem euocet, vos omnes testes habeā, mei studij, cuius finis est, Deo grata, hoc est, vera et vtilia docendo, & sancta honestaq́; suadendo, ἐν δυσφημίᾳ πλείστων: & migrare ad Hierusalem cœlestē, et innumerabilium Angelorū conuentum, et concionem Primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis, vt cum his in æterna consuetudine Deum meum celebrem.

Adeste itaq́;, doctißimi Iuuenes & optimi fratres, purgatis animis auribusq́;, & in manus sumite Malachiæ prophetæ libellum, gemmæ cuiusdam instar, non mole, sed pretio vsq́; æstimandum: Christum autem vnicum nostrum Doctorem orate, vt mihi vobisq́; dexter adsit, & Scripturas sanctas aperiat, ad laudem suam & nostram institutionem, Amen.

Cùm autem reuera longum sit proœmium audiendi cupidis, fert animus ista solùm προσωπογραφικὰ κεφάλαια, præmittere.

1. Nomen Malachias, Angelum Hebræis significat. Non est autem animus non necessariam disputationem instituere, de opinione eorum, qui non hominem, sed Angelum Malachiam fuisse opinati sunt: aut de Ionathæ Chaldæi sententia, qui Ezram, scribā velocem in lege Mosi, Malachiam ab officio dictum, & διώνυμον fuisse censuit. Etsi enim fateor ἰσοχρόνους seu coætaneos fuisse Malachiam &

 Ezram,

Ezram, ex eo tamen non coniiciendum fuerit, vnum & eundem numero hominem fuisse.

2. Tempus. Malachiam prophetam floruisse circa annum à condito Mundo 3500. qui fuit ante Deū in Carne manifestatū 471. Chronographi fideles magno consensu testantur. Fuit eo tempore Persarum Monarcha Xerxes, annis aliquot antè è Græcia profligatus, & iam periodo vitæ suæ proximus. Ac eodem ferè tempore, quo in Iudæa docuit Malachias, Themistocles, (cui Thucydides hanc eximiam laudem tribuit, quòd in eo viro maxima naturæ facultas fuerit, quòd nemo alius certius & longius futura præuidere potuerit, quòd præsentia καὶ τὰ ἀπροσδόκητα rectissimè æstimarit, deniq; quòd posset αὐτοσχεδιάζειν τὰ δέοντα.) Argis profugiēs, persequentibus eū Atheniēsibus et Lacedæmonijs, tādē post uarios casus ad Artaxerxē Lōgimanū, qui nō multò ante apud Persas regnare cœperat, sese cōtulit, & magno in pretio & honore apud eum habitus fuit. Anno 6. imperij Artaxerxis, Ezras, Legis peritus, Rege permittēte, Iudæorum magnam multitudinem, reduxit in Iudæam 1. Ezr. 7. & 8. Quàm fuerit autem corruptus & perturbatus populi Iudaici status illo tempore, non solùm ex historia Ezræ, sed etiam ex grauissimis Malachiæ reprehensionibus, colligi potest. Nos, suo tempore ostēdemus, confusionū generis humani tristissimarū, quarū spectatores καὶ θρηνῳδοὶ sumus, expressam imaginem in populo Iudaico nobis esse propositam: ac proinde eleuanda nobis esse capita, ob instantem redemtionem, & restitutionem omnium.

3. Sermonis genus magna ex parte διαλογιστικὸν esse, docti interpretes, rectè annotârunt. Vt autem præcipua artis est dextrè & feliciter δοῦναι καὶ ἀποδέξασθαι λόγους: ita necessaria diligentia est, adhibito sentētiarum delectu, mentem Interrogantis & Respōdentis, in disputatione de rebus maximis, eruere & propriè explicare. Toto itaq; pectore orandus nobis est, filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, vt Spiritum sanctum doctorem καὶ χειραγωγὸν nobis adesse velit, ne vsq; à vero, tanquam à scopo aberremus. Si enim, vt apud Diogenem Laertiū loquitur Socrates, præclari ingenij est, elicere è rebus sermones accommodatos; religiosi ingenij esse ne dubitemus,

temus, è propheticis concionibus, sententias grauissimas & sanctissimas enucleare & ad vsum tran ferre. Ad eam autem rem plurimũ nostra retulerit, filium orationis, quod συνέπειαν Græci eleganter vocant, prudenter obseruare, & constanter, ceu Ariadnæ filu, sequi.

4. Argumentum. Etsi inter enarrandum de argumento, quod Malachias tractat, prolixè dicendum erit: tamen nihil vetat quo minus κεφαλαιωδῶς præcipua partes recitemus.

1. Ἀποδεικτικὴ est prima pars Prophetæ, de Iacobi & posterorũ eius sanctificatione, & de eius segregationis in Dei gentem peculiarem, caussa, gratuito videlicet Dei amore: & de rejectione Esau, profani hominis, eiusq́ posterorũ, quotquot, inquam, horum incredulitate & profana viuendi ratione patris similes fuerunt.

2. Δικανικὴ pars altera est, in qua de vicijs & peccatis, tum Sacerdotum, tum Populi Iudaici, Propheta disserens, utrosq́, planè inexcusabiles esse ostendit.

3. Προφητικὴ autem est tertia pars, in qua agitur de exhibitione Messiæ, de vocatione Gentium, de reprobatione Iudæorum: de obedientia fidei quam Ecclesia noui Testamenti Deo probatura esset.

4. Παραινετικὴ demum est pars vltima, in qua ad resipiscentiam multis argumentis adductis, & ad fidem in Iesum Christum hortatur. Sed de his omnibus, suo tempore & loco, Deo institutũ nostrum prosperante, agendum nobis erit.

Omnium autem operosissima est pars Iudicialis, quæ est secunda ordine, & cui cætera attexuntur.

5. De Authentica libri huius auctoritate, ideo nihil dicam, ne cui videar in scyrpo, quod vulgò dici solet, nodum quærere. Norunt pij & mediocriter eruditi omnes, nunquam non in vera & catholica Ecclesia, sacrosanctam fuisse huius libri auctoritatem, ob suauissimam cum Prophetis & Apostolis in doctrina fidei & charitatis τὴν συναρμονίαν. Vident etiam Apostolos testimonia è Malachia petiuisse. Ideo non habent cur, de certitudine oraculorum istorum, addubitent.

6. Vtilitas multiplex est, quæ ex prophetæ huius lectione & meditatione, ad nos redire poterit.

1. Institutioni nostræ plurimũ proderit, quia nõ pauca, & ea quidẽ grauissima S. Theologiæ capita, de Electione et Reprobatione, de officio Sacerdotum, et aliorum fidelium: de Messia & eius aduentu primo, &c. exponenda erunt.

Correctioni nostræ seruient reprehensiones erratorum Ecclesiasticorum, Politicorum, Oeconomicorum: denunciationes pœnarum.

Spei & resipiscentiæ nostræ illa conducent, quæ de Messiæ aduẽtu prænunciantur. Vt enim Iudæos olim primum Christi aduentum in carne, expectare, et resipiscendo, viã Domino præparare, iussit Propheta: sic idem non obscurè monet, eiusdem Iesu Christi aduentum secũdum, ad iudicandum viuos & mortuos nobis esse expectãdum.

Det nobis omnibus Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, vt præcinctis lumbis nostræ mentis, vigilantes & orantes, eius gloriosum reditum expectemus: caueamus, ne corda nostra grauentur crapula & curis mundanis: viderimus, vt lampades nostræ oleo nõ destituantur, vt ne in conseruos simus iniurij: vt deniq; non terrena, sed cœlestia potissimum curantes, digni per gratiam habeamur qui in conspectu Iesu Christi stemus, & consortes simus benedictionis æternæ, Amen.

CAPVT

CAPVT I.

VERSVS I.

Prophetia onerosa verbi Iehouæ ad Iſraelem per Malacin.

NON difficile eſt, homini τρόπον παιδείας obſeruanti, Lect. 2.
Inſcriptionem Oraculorum, quæ in hoc libello tra- 29. Augu-
dita ſunt, logicè exponere: ſi quis perinde ad Princi- ſti.
pia reſpiciat, quemadmodum nauigātes ad paruam
Cynoſurā. Nos Chriſto Ieſu, q eſt illuminatio noſtra,
potiſsimū freti, ea, quæ ipſe dictabit, ad ipſius laudē exponemus.

1. Forma indicatur Oneris, hoc eſt, Oneroſæ prophetiæ, vocabulo. Grauiſsima enim, Iudaici populi iniuſticiæ & impietatis,† משא ſuperſtitionis circa mundi elementa: & peccatorum publicè ac priuatim graſſantium, reprehenſione, conſtat. Reuera autem id Propheta noſter in hac ſua Concione præſtitit, quod prudenter Gregorius Romanus Epiſcopus alicubi dixit: Tunc proteruos melius corrigimus, cùm ea quæ bene egiſſe credunt, malè acta demonſtramus: & vnde adepta gloria creditur, inde vtilis confeſsio ſubſequitur. Nam & Sacerdotes Iudaici liturgia ſua operoſè defungendo: & populus, literæ, ſeu ceremoniarum qualemcunq; cultum præſtando, ſuis muneribus ac ipſi etiam Deo, ſe egregiè ſatisfacere putabant: ac nemo interim de Spiritus cultu & cordis obedientia cogitabat. Accedebant & ἐθελοθρησκεία & Traditiones humanæ, de quibus Filius Dei pronunciauit, dicens: Fruſtra me colunt, docentes doctrinas, quæ ſunt mādata hominum. Matth. 15. 9.

2. αἴτιον κύριον, ſeu Cauſſa efficiens principalis oraculi iſtius oneroſi, eſt Iehouah, καρδιογνώστης, & qui ſpiritu & veritate coli vult, cū ſit Spiritus, Ioan. 4. 23. 24.

Inde autem colligimus ſacroſanctā eſſe huius Concionis auctoritatem, ut quæ non hominis libidine allata ſit, ſed à Spiritu Dei dictata. Hoc autem ſibi vult, illud: דבר־יהוה, Debar Iehouah, verbi Iehouæ.

Eadem autem ratione attentionē requirit Propheta, quia Deo ſacrum os aperiente, cœlum & terram auſcultare, æquum eſt. Iſa. 1. 2. Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt.

3. Finis, vt ſeruiat correctioni & inſtitutioni Iſraelis, hoc eſt, Iudæorum è Babylone reducum.

Diſcimus autem ex hoc & ſimilibus locis, olim populi Iudaici eximium fuiſſe priuilegium, quod ei Legis & Euangelij doctrinā patefecit, & eidem cuſtodiendam & explanādam, cōmiſit Deus. Primariū enim illud eſt, quòd eis credita ſunt eloquia Dei. Rom. 3.2. quòd eorum fuerunt adoptio, gloria, fœdera, Legis cōſtitutio, cultus & promiſsiones. Rom. 9.4.

Agamus autem ipſi quoq; toto corde Deo gratias, quòd is nobis ſancta oracula ſua credidit profitenda & aſſeruanda: & nō ſoli Timotheo, ſed etiam nobis dictum meminerimus: Timothee, depoſitum ſerua, & auerſare profanos de rebus inanibus clamores, & oppoſitiones falsò nominatæ ſcientiæ. 1. Tim. 6. 20. Item, At tu permane, in ijs quæ didiciſti, & quæ tibi concredita ſunt. 2. Tim. 3. 14.

Etſi autem non ſumus Iſraelitæ ſecundum carnem, ſcimus tamen filios promiſsiones (in horum cenſu ſunt fideles) cenſeri in ſemine, Rom. 9. 8. & eſſe Iſraelitas in ſpiritu, & cuſtodes præclari illius depoſiti cœleſtis doctrinæ. Probemus itaq; Deo ſummā fidem in depoſito hoc aſſeruando, nihil ei addentes, nihil detrahentes: ſed ἀδιαφθορίαν καὶ εἰλικρίνειαν eius retinentes.

4. Efficiens famulans cauſſa fuit Malachias, de quo ſuprà dixi.

Hoc loco & cauſſę, propter quas θεοπνεύστους homines, Deus Oraculorum ſuorum promos & condos eſſe voluit, cōſiderentur.

1. Dei maieſtas humanæ infirmitati planè intolerabilis: ut docet Iſraelitarum ingenua confeſsio. Exod 20. 19. Iſraelitæ dixerūt Moſi: Loquere tu nobiſcum, & obſequemur: & ne loquatur nobiſcum Deus, ne fortè moriamur.

2. Charitatis præſtantiſsimum documentum eſt, piè docere. Eſt enim fidus doctor ὁδηγὸς τυφλῶν, φῶς τῶν ἐν σκότει, παιδευτὴς ἀφρόνων, διδάσκαλος νηπίων: vt per conceſsionē de Iudæis loquens Paulus, verè monet. Rom. 2. 19. 20. Ideo ſumma fide & aſsiduitate nos docendi munere defungi oportet.

3. Mutua piorum conſolatio & exhortatio. Rom. 1. 11. Expeto enim videre vos, vt aliquod impertiar vobis donum ſpirituale, vt vos ſtabiliamini: 12 Hoc eſt, ad cōmunē exhortationē percipiēdā.

Verè aūt Baſilius Magnus pronunciauit. Diſcipulos Præceptorū filios eſſe ſpirituales. Vt ergo frugi liberis Parentes theſauros recondunt:

recondunt: sic discipulis, doctrinæ cœlestis facem, velut lampada quandam in cursu, vt dici solet, fidi præceptores præferre & communicare, & vtriq; Dei donum suscitare, debent.

Aphorismi ἠθικοὶ.

1. Solius Dei est, Ecclesiæ onera reuelare. αὐτιου αὐθεντ.

Nam illi soli nota sunt omnia, quæ & in Ecclesia & extra eam fiunt: ipsius solius est, de uniuersis pronunciare. Ideò Paulus ait è cœlo palàm fieri iram Dei aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominum. Rom. 1. 18.

2. Prophetiæ autem onerosæ, de culpa & de pœna agunt. Formæ.

Sunt enim testimonia iusti iudicij Dei, quæ homines αὐτοκατακρίτους, id est, suo ipsorum iudicio reos faciunt. Fieri autem non potest, ut quispiam male sibi ominetur, nisi sit sibi ipsi malè cõscius, hoc est, nisi conuincatur conscientię, quę mille testium instar est, ἐλεγχομένη, & συνθρηνοῦσα grauissima sententia.

3. Cum Dei iudicium à domo Dei incipiat, quis miretur Israeli hæc proponi onera?

Est enim Israel domus Dei, gens sancta, populus quem sibi vt peculiarem Dominus acquisiuit. Ideo Israelitis id accidit, quod alibi dicitur: Quem enim diligit Dominus, castigat: & flagellat quemcunq; filium recipit. Heb. 12. 6.

4. Oneribus istis nihil derogat hominis Ministri præconium.

Non enim suo nomine, sed Iehouæ, id quod diuinitus edoctus intellexit, constanter & apertè profitetur. Ac cum Prophetæ sint Dei ora, vt scitè dixit Ioannes Chrysostomus, non est cur instrumẽtum humile, oraculo eiusq; auctori Opt. max. præiudicio esse putemus.

VERSUS II.

Diligo vos, ait Iehouah: & dicitis, In quo diligis nos? Nonne frater fuit Esau Iacobo? dictum Iehouæ, dilexi autem Iacobũ. Lect. 2. 11. August.

DE AMORE DEI ERGA ISRAELEM.

Existimo hanc primam partem Oraculorum Malachiæ, in qua agit de argumẽtis diuinæ erga Israelitas dilectionis, & refutant contrarię imaginationes, esse ἀποδεικτικὴν, seu demonstratiuã. Solidis enim demõstrationibus adductis, ostẽdit Propheta noster, nõ esse ex cõmunibus quibusdã ęrũnis & difficultatibus, quibus magno maloq; suo merito Iudæi laborent, iniustũ quoddã odiũ Dei

erga illam Gentem: sed potius ex alijs, & quidem euidentissimis rationibus & documentis, Dei amorem, colligendum.

Constat autem arduæ istius disputationis initiũ, Propositione primũ: deinde, Obiectione, quæ ἀρωτηματικῶς tradita est: postremò, illustri Demõstratione ducta, à gratuita Iacobi & posterorũ eius electione. De his vbi egerimus, Thesin quoq; συλλογιστικῶς, tractabimus. Vos, optimi fratres, purgatis adeste auribus & animis attentis, & Christum Dominum, qui est sapientia nostra, comprecamini, vt sancti Spiritus sui gratia nobis adsit.

1\. 1. Propositio. Diligo vos, ait Iehouah; Hoc est, Iehouah verè diligit Israelem. Deut. 4. 37. Et quoniam dilexit Iehouah Patres tuos, elegit semen eius post eum.

Quis.

2\. Diligit autẽ Deus veros solùm Israelitas, in quibus non est dolus. Ioan. 1. 48. quia non omnes qui sunt ex patre Israele, sunt Israelitæ. Rom. 9. 6. ac proinde non omnes qui se Israelitas esse gloriantur, diliguntur à Deo.

Quos.

3\. Sic autẽ diligit, vt per adoptionis gratiam, Electos suos, filiorũ loco habeat. Iuxta illud: Nõ qui sunt filij carnis, ij filij Dei: sed qui sunt filij Dei, censentur in semine, Rom. 9. 8. Item, Quotquot autẽ Christum acceperunt, dedit eis hanc dignitatẽ, vt filij Dei fierent, nempe ijs qui credunt in nomen eius. Ioan. 1. 12.

Quomodo diligat.

4\. Diligit autem eos, in dilecto suo filio. Eph. 1. 6. Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, qua nos gratis effecit sibi gratos, in illo dilecto. Extra Christum enim, nemo Deo φίλιος, amabilis esse potest.

In quo diligat.

2\. Iudæorum contra propositionem, Obiectio: Et dicitis, In quo diligis nos? Hoc est, quod tandem est eximiæ istius dilectionis Dei erga nos Iudæos, argumentum?

Diuini erga Gentem aliquam amoris, manifesta esse solent argumenta & specimina.

Nobis autem Iudæis, de nullo horum constat: immò ex multiplicibus calamitatibus & tragicis malis quæ nobis acciderunt lõgissimo tempore, contrarium, Dei videlicet erga nos odiũ, conijcere licet. Nisi fortè ærumnæ fatales, documenta sunt diuini amoris: quod sanè absurdum videtur.

Non igitur diligit nos Deus, vt tu Malachia putas.

Hæ sunt præclaræ, si Deo placet, terræ filiorũ & nauci hominũ, cogitationes, καὶ φλυαρίαι quoties suæ fortis & decori planè obliti, ex aduerso Deo respondant. Non vident peccatorum suorum

sum iustas pœnas sese dare: nec Dei ferulam, filijs eius maximè necessariam esse cogitant: donec illis aperiantur oculi, sic vt supplices ad se percutientem confugiant, & seipsos, quam Do minũ summè misericordem, magno suo bono, accusare malint.

3. Demonstratio, qua ceu clauo adamantino, retunditur Sophistica obiectio, de odio Dei erga Iudęos. Ducitur autẽ illa à gratuita electione Iacobi & seminis illius.

Certissimum est summi amoris argumentum, gratuita viri alicuius, & germanorum illius liberorum, electio & sanctificatio.

Iehouah autem gratis elegit Iacobum & eius semen.

Summè igitur Israelem diligit.

Minor probatur primum à comparatione fratrum Esau & Iacob.

Gratuita sanè electio est, cum è duobus fratribus, nondũ natis, & ex vno conceptis, & suo tempore vnà in lucem editis, alter eligitur, alter verò præteritur.

Atqui id factum est in patre Israelitarũ Iacobo, de quo (vt propositum Dei, quod est secundum illius electionem, id est, non ex operibus, sed ex vocante, firmum maneret.) dictum est: Maior seruiet minori, Rom. 9. 11. 12.

Gratuitam igitur eius electionem esse, quis dubitet?

Eadem autẽ Minor secundo loco probatur, à Dei, qui est ἀψευδής, testimonio. Dictum Iehouæ: Dilexi Iacobum.

Si Iehouah dilexit Iacobũ (loquitur Dominus de φιλοστοργίᾳ paterna erga filios & cohæredes) eundem quoque & elegit: & quidem vtrumque gratis præstitit: vt ex præcedenti argumento liquet.

Verum est Antecedens: vt αὐτόπιστον oraculum monet.

Verum igitur est consequens. *Lectio 4. 10 Septẽb. 1581.*

Vt autem Thesis huius Oraculi illustretur, & è Nouo Testamẽto lucis diuinæ radius, oraculum veteris Testamenti illustret, adducam verba Apostoli, quæ extant Rom. 9. 10. 11. 12. 13.

Neq; hoc solùm, sed Rebecca, cum ex vno concepisset, nempe ex Isaac patre nostro, (hæc experta est.)

Nondum enim natis (pueris) quum nihil fecissent boni vel mali, vt propositum Dei quod est secundum (ipsius) electionem, (id est) non ex operibus, sed ex vocante (firmum) maneret.

Dictum est ei, Maior seruiet minori.

Sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau verò odio habui.

Sit ergo huius Tractationis de Electione & Reprobatione, au-
rea baſis, hæc illuſtris & ἀμετακίνητος demonſtratio.

Vna eademq; ratio eſt electionis diuinæ, in Electorum omnium: & reprobationis eiuſdem, in omnium Reiectorũ, exemplis: ſic vt dato vnico exemplo, hominis quidẽ Electi, de omnibus Electis: reiecti verò, de omnibus Reprobis, facile ſit pronunciare. Neq; enim diuerſę ſunt electionis aut reiectionis rationes: ſed vtrobiq; vna eademq; & planè inuariabilis. Ac non malè Scholaſtici pronũciauerunt, Theologiæ ſingularia, potentia vniuerſalia eſſe, ſic vt ex illis tanquam ex vniuerſalibus, rectè arguatur.

Conſtat autem ex Gen. 25. 23. Iacobum quidem electum, quòd Deo charus eſſet: Eſauum verò reiectum, quòd eidem eſſet exoſus. Hanc Minorem Apoſtolus noſter primùm amplificat per cõparationem fratrum Germanorum, qui & ijſdem parentibus prognati, & gemelli erant: & expertes meritorũ omnium, & nõdum in lucem editi. Deinde ἀιτιολογικῶς exponit, cum ait ſecũdum Dei propoſitũ, Iacobum quidem electum, Eſauum verò reprobatũ. Poſtremò, hæc omnia Oraculo diuino ἀναντιῤῥήτως comprobat.

Eadem itaq; ratione, & cęteros homines ſecundum Dei propoſitum, ſeu electos ſeu reiectos eſſe, fateamur: & hæc Dei iudicia adoremus.

DE SVPERIORIBVS PRINCIPIIS SALVTIS FIDELIVM ET EXITII *infidelium, Aphoriſmi.*

1. Omnes cauſſas ſeu ſalutis, ſeu exitij, ordine antecedit, Dei πρόθεσις, id eſt, propoſitum.

Hunc Apohriſmum confirmant hæc teſtimonia.

Rom. 8. 28. Nouimus autem ijs qui diligũt Deum, omnia ſimul conferre ad bonum, ijs videlicet qui ex propoſito ipſius vocati ſunt. Præcedit igitur vocationẽ noſtram efficacẽ, Dei propoſitũ.

Rom. 9. 11. Vt propoſitum Dei, quod eſt ſecũdum ipſius electionem, &c. Antegreditur igitur Propoſitum electionem: 2. Tim. 1. 9. Qui ſeruauit nos, & vocauit vocatione ſancta: non ex operibus noſtris, ſed ex ſuo propoſito & gratia, quę data quidem eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tẽpora ſecularia. Anteceſsit igitur propoſitũ voluntatis diuinæ de noſtra electione, non ſolùm Euangelij pręconium, ſed etiam Mundi creationem.

2. Propo-

2. Propositum Dei ordinè subsequitur Electio nostra particularis, tanquam primaria salutis nostræ caussa, à qua cæteræ dependent.

Rom. 8. 29. Nam quos præsciuit, eosdem & prædestinauit, vt conformes fiant imagini Filij sui.

Rom. 9. 11. Vt propositum Dei quod est secundum ipsius electionem, &c.

Ideo homo electus σκεῦος ἐκλογῆς vocatur: vt est videre in dicto Domini de Paulo: Nam instrumentum electum est mihi iste, Act. 9. 15. Et electi dicuntur σκεύη ἐλέους. Rom. 9. 23. Et vt notas faceret diuitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparauit ad gloriam: Item, σκεύη εἰς τιμὴν, vasa ad decus. 2. Tim. 2. 20.

3. Electioni huic non debet substerni præuisio, fidei & operum velut meritorum.

Rom. 9. 11. Non ex operibus, sed ex vocante. Ergo in Deo electionis nostræ caussa, non in nobisipsis est constituenda.

Ephes. 1. 5. Qui prædestinauit nos quos adoptaret in filios, per Iesum Christum in sese, pro beneuolo affectu volūtatis suæ. 6. Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, qua nos gratis effecit sibi gratos in illo dilecto.

Ac reuera, nisi excludatur istud commētum præuisionis bonorum operum, ex Electionis nostræ ratione, frustra Paulus μεμψιμοιρῶν Obiectiones de volūtate & iure Dei in homines planè αὐθαιρέτῳ καὶ αὐτοκρατορικῷ, refutasset. Rom. 9. 14. 15. 16. & 18. Non enim offenderetur quisquam, Pelagiana imbutus persuasione, si non ad propositum voluntatis diuinę, quod ordinè antegreditur omnes subordinatas caussas, sed ad prȩuisionem bonorum operum, Paulus nos reuocauisset.

4. Posita Electione particulari, sequitur Reiectio cæterorum. Electio enim sine opposita Reiectione nec constitui, nec intelligi potest. Vt enim κατ' ἀρχὴν ἐκ τῆς ἐκλογῆς, ij, verè Reiecti dicuntur qui non sunt electi: sic econtrariò, ij demū Electi sunt, quos non reiecit Deus.

Porrò si particularis ea non est, cur Electio dicitur, & cur opponitur Reiectioni?

At enim, dicent pij quidā fratres, qualis est electio talis & promissio gratiæ, quæ de illa testatur: & econtrariò. Sed vniuersale est gratiæ promissio. Vniuersalis igitur est & Electio. Obiectio.

B 2 Respon-

Reſpondeo ad Minorem, Cauendum nobis Paralogiſmum à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter. Sic enim electio Iſraelitarum generalis & communis eſt, vt tamen Deus ſolos veros Iſraelitas arcano, optimoque ſuo conſilio ſe ad vitam gloriamque æternam, elegiſſe, reipſa teſtetur. Salutis etiam donum ſic vniuerſaliter annunciatur & offertur omnibus, vt tamen in ijs ſolis ſit efficax, quibus id datũ eſt. Matthæi decimotertio, vndecimo & ſequen. A correlatiuis itaque, ἐκ τῶν ἀβίκων argumentamur. Quorum eſt fides, ea inquam quæ πληροφορία gratiæ Dei definitur, eorum eſt & gratiæ promiſsio. Electorum autem eſt fides. Tit.1.1. & ab electionis gratia fidei donum dependet, Ad electos ergo ſolos promiſsio gratiæ pertinet.

5. Reiectionis vnica cauſſa non ſunt opera mala.

Etſi παράδοξον hoc videri alicui poterit, prima videlicet fronte intuenti: tamen nihil aliud ſibi vult, quàm quod Paulus dixit: Nondum enim natis (pueris Iacob & Eſau) quum nihil feciſſent boni vel mali, vt propoſitum Dei maneret, &c. Roman.9 11 Apoſtolus enim nullam perſonarum & operum rationem hac interuenire oſtendit, cũ nõ ſolùm electionis Iacobi, ſed etiã reprobationis Eſaui, mentionem faceret: & vtramq; ad diuinæ voluntatis propoſitum referret.

6. Analyticè ex omnibus Dei beneficijs, quæ ortum ducunt ab electione, antegreſſa ἐκλογῆ, colligi debet.

Etſi autem κατὰ συνεκδοχὴν, dilectionis ſolùm diuinæ erga Iſraelitas, Propheta cõmeminit: omnia tamen Dei beneficia, quæ miranda ſerie Electionem ſubſequuntur, ſubintelligit.

Itaq; ex ſanctificatione rectè ϗ συστοίχως colligemus iuſtificationem antegreſſam: ex hac autẽ vocationem efficacem: ex vocatione iſta electionem: & ex hac Dei propoſitum. Loquimur autem cum Apoſtolo noſtro, cui ijdem ſunt prædeſtinati, vocati, iuſtificati & glorificati, Rom.8.29.30.

VERSVS III.

Lectio 5. 11. Sept.

Eſau verò odio habui: ideo diſpoſui montes eius deſolationi: & poſſeſsionem eius Draconibus deſerti.

Verſamur in difficili loco, ſed δυσνόητα ſunt τὰ καλά: & nobis adeſt Chriſtus Ieſus, qui ſolus per Spiritum ſanctum aperire poteſt mentem Scripturæ. Simus igitur præſentibus animis & purgatis auribus: & Chriſtum ὁδηγὸν ſequamur. Sed ad rem.

Cum

Cum in hoc versu 3. sit Antithesis Iudæorum & Idumæorum, ἀντιστρόφως obseruandum, & hoc pacto cōplendum nobis erit. Extant manifesta & illustria, amoris diuini erga Israelitas, documēta: nec obscura sunt iusti odij Dei erga Idumæos argumenta. Hos enim bellis confectos è suis finibus eiecit Deus, ac montanam eorum regionem, quæ cultissima quondam fuerat, vastari uoluit: sic vt ijs in locis nunc ingentes serpentes sint, & sinuosa volumina passim versent, in quibus olim omnium ordinum & ætatum florentissimi homines, versati fuêre: τοιαῦθ' ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται. Videmus huius rei specimen in ruderibus Augustæ Rauracorum, cuius vrbis diameter fuit miliare germanicum.

Ecōtrà illos in patriam reduxit Dominus: ac iure postliminij restituti Iudæi, ædificijs vrbes, plantis & frugiferis arboribus cultissimam regionem nunc obtinent.

Vt enim benedictionem terrenam, Deus Israelitis suis voluit esse quasi quendam arrhabonem, donorum Spiritualium copiæ & plenitudinis, qua essent instruendi & collocupletandi: sic Idumæis, à fœdere gratiæ alienis, exilium, patriæ vastationem, & alia ingentia mala, Deus maledictionis testimonia esse, pronunciauit.

Obiectio. Salomon Ecclesiastis 9. cap. rectè negat, ex communibus casibus, aduersis aut secundis, non rectè colligi amorem, odiumúe Dei erga homines. Pugnat ergo è diametro cum Malachia, contrarium affirmante.

Respōdeo, Est Paralogismus ignorationis Elenchi, neq; enim κατ' αὐτὸ, Malachias quidem, benedictionem temporalem, amoris diuini: maledictionem terrenam odij, signum esse pronunciat: Salomon verò negat homines scire amorene an verò odio digni sint.

Ille enim loquitur de diuino iudicio: & ostendit, pietatem etiā huius præsentis uitæ promissiones habere, tametsi in æternam potissimùm feratur. 1. Tim. 4. 8. & secundum quid pronunciat, quatenus videlicet terrena bona cum spiritualib. coniungebātur.

Hic autem de hominum iudicio, quod deficit in re tanta æstimanda: & de communibus euētibus, qui iustis pariter & iniustis eueniunt, differens, negat ex ijs iudicium, de Dei erga homines amore vel odio, faciendum esse.

Sunt autem viri quidam docti in ea sentētia, Amorem & odiū,

ἀντωνυμικῶς, pro re amata aut exoſa, in illo Salomonis Enunciato, ſumi, & ſententiam eſſe. Vt quis rebus eiuſmodi pro ſuo arbitrio vtatur, non eſſe in noſtra ſitum poteſtate: ſed in eius arbitrio, qui & perſonas et facta & res, ſuo nutu omnipotenti regit & adminiſtrat.

DEMONSTRATIO SECVNDA,

ἀνασκευαστική, qua vana Iudæorum (de odio Dei erga ſe, querit antium) perſuaſio, refutatur.

Si Deus Eſaui poſteritatem, iuſto iudicio, perpetuo exilio, & alijs ingentibus pœnis afficere pergit: Iacobi autē liberos, ex mera gratia, paternè caſtigatos, iam in integrum reſtituit, reduxit in dulciſsimam patriam, benedictione ſua ornauit & ditauit: Tum verò certum eſt, illos quidem, quibus etiam ſecunda malè cedūt, Deo eſſe exoſos: hos verò, quibus etiam aduerſa adiumento ſunt in bonum, eidem charos eſſe.

Verum autem eſt Antecedens, vt ex ſtatu vtriuſq; Populi manifeſtè liquet. Hāc propoſitionē probat & amplificat Malachias, hypotypoſi deſolationis Idumææ.

Verum igitur eſt & Conſequens.

METHODVS, DE ODIO DEI.

I. AN SIT.

Fatemur Deum quoſdam homines, & quaſdam στερήσεις, quæ ſunt confuſiones ordinis & operum Dei, odiſſe. Iuxta hæc dicta:

Pſal. 5. 6. Non ſtabunt ſtulti corā oculis tuis: odiſti omnes operantes iniquitatem. 7. Perdes loquentes mendacium: virum ſanguinolentum & fraudulentum abominatur Iehouah.

Zach. 8. 17. Et quiſq; malum proximi ſui ne cogitetis in cordibus veſtris: atq; iuramentū mendax ne diligatis: omnia enim iſta ſunt quæ odi, dicit Iehouah.

II. QVID SIT.

Odium Dei eiuſdē Amori opponi, nemo intelligens nō videt. Conſtat aūt hoc loco, Dei amorē ſignificare propoſitū miſerēdi. Itaq;, cum contrariorum contraria ſint conſequentia, odium Dei eodem hoc loco, ſignificat propoſitum non miſerendi, ſed prætereundi, & στέρησιν, ſeu priuationem ſaluificæ gratiæ, planè indebitę.

Ne quis autem offendatur ſpecie quadam aſperitatis in hac oratione de odio Dei, diſertè affirmamus, eam à nobis non ſecus

accipi,

accipi, quàm illa Christi verba docent: Si quis venit ad me, & nõ odit Patrem suum & Matrem, Luc. 14. 26.

Vt enim eos odisse dicimur, quos magno consilio alijs longè postponimus: sic Deus (per ἀνθρωποπάθειαν quandam) eos dicitur odisse, quos summo, iustißimo optimoque consilio, præterit in re certa, videlicet in communicatione gratiæ & salutis indebitæ.

III. QVAE CAVSSA.

Deus, à se reiectos odisse dicitur.

Sicut enim simpliciter impoßibile est, exosos fuisse Deo Patri, quos ipse in Christo Iesu Filio suo vnquam elegit: sic etiam simpliciter absurdum & impoßibile est, Deo vnquam dilectos fuisse, quos ille nunquam elegit: hoc est, quos reiecit.

Quòd si quis nonnihil offenditur hac loquendi formula, is κατ' ἀνάλυσιν à proximis caussis, quæ reprobos abominabiles esse ob incredulitatem & eius effecta, ostendunt, tandem regrediatur ad superiorem caussam: nec temerè damnet ea, quæ nondum assequitur.

IIII. QVOD SIT.

1. Iustum est illud erga reprobos odium. Rationes manifestißimæ sunt:

1. Quia Deo, qui summè iustus est, tribuitur.

2. Quia est virtus diuinæ iusticiæ & bonitatis, & laudatißima νέμεσις, aduersus operis ordinisq; diuini destructionem.

3. Quia est coniunctum cum amore boni: qui certè nullus esse potest sine odio mali: nec etiam minorem meretur laudem.

2. Odium illud Dei est immutabile. Ratio.

Nam Deus immutabiliter bonus, iustus, sanctus est: & in eum nõ cadit παραλλαγὴ aut conuersionis obumbratio. Ea autem quę odit Deus mala, iniusta & profana sunt.

3. Odij diuini tessara quædam est, maledictio terrena.

Id colligi potest tum ex Caini exemplo, Genes. 4. 11. 12. tum ex comminationibus Legis, Deut. 28. tum deniq; ex Psal. 107. 34. Terram fructiferam in salsuginem ponit, propter malitiam habitantium in ea.

VERSVS IIII.

Quod dicit Edomæa, depauperati sumus quidem, at reuertemur & ædificabimus vastata loca: Sic ait Iehouah exercituũ, Lectio 6. 12. Septēb.

Ipsi ædificent, at ego destruam, & vocabuntur Terminus improbitatis, et populus cui indignatur Iehouah, vsq; in seculū.

VERSVS V.

Quod oculi vestri visuri sunt ex termino Israelis, & vos dicturi, Magnificat se Iehouah.

Docendi gratia, σὺν χριστῷ, dicam, primùm de Idumæorum Obiectione gloriosa, quam per προκατάληψιν Propheta noster adducit: deinde, de Responsione Iehouæ ad illam obiectionem: postremò, de vsu huius oraculi.

I. OBIECTIO IDVMAEORVM.

In hac obseruabimus, primò τὴν παρομολογίαν, Enimuerò fatemur, proh dolor, nos exules esse, ad summā redactos inopiam: & auitas nostras sedes esse ferro igniq; vastatas: deinde, τὴν ἀνθυπαγωγήν, sed tamē spes magna est, nostri in patriam reditus, & instaurationis vrbium & domiciliorum nostrorum.

Prudentis fortisq; hominis est, ex rerum in præsentiarum tristissimo statu, de futuro neutiquam temerè pronunciare, quasi is non possit indies melior fieri. Et ferè res aduersæ secundas præcedunt, si non desint prudentia, laudabilis conatus instaurandi res collapsas, & occasiones.

Nos verò nunc quidem luctamur cum multis magnis malis & incommodis, quę paupertatem & exilium comitari solent: sed tamen duramus, & nosmet rebus secundis seruamus. Itaque de nostra in integrum restitutione, de recuperatione patriæ egregiè persuasi, reædificaturos & inhabitaturos nostra domicilia, speramus.

Hoc argumento Iudæi βραδυπιστίᾳ & impatientia laborantes, sibiipsis quoque imponebant: illud nimirum inde perperam colligentes, ex præsenti Idumæorum miseria, non esse Dei odium colligendum.

II. RESPONSIO IEHOVAE.

Iehouah exercituū ait: Ipsi ædificēt, at ego destruā: & vocabunt terminus improbitatis: & populus cui indignatur Iehouah vsq; in seculum.

Duo hic occurrunt, Respondens, & Responsio.

Respondens est, καρδιογνώστης ille & omnipotens Iehouah exercituū, cui omnia nota, omnia posibilia sunt, de quo dicitur: Iehouah

uah labefactat consilium gētium,annihilat cogitationes populorum.Consiliū autem Iehouę in ęternum perstat:cogitationes cordis eius in seculum,Psal.33.10.11.

Responsio constat Propositione & Amplificatione.

Propositio,Deus destruet ea,quæ Idumęi ędificare conabūtur: sic vt irriti sint omnes eorum labores.Iuxta illud Salomonis:Nō est sapientia, neq; intelligentia,neque consilium aduersus Iehouam,Prouerb.21.30.

Amplificatio,Nō solùm destruet ea Deus,quæ Idumæi vtcūq; ædificabunt:sed etiam regio quidem eorum Terminus improbitatis,id est,improborū (sic vocatur κατὰ διαφορὰν, respectu termini Israelis)ac proinde Deo exosorum, vocabitur:ipsa verò gens Idumæa,dicetur populus cui irascitur Deus.

Termini autem vocabulum,significantissimè exposuit Paulus illo nobili dicto,de cuiusq; populi territorio:deus definijt tempestiuitates quas præstituit Gentibus, positis terminis (ὁροθεσίας vocat)habitationis eorum,Act.17.26.

Ex his rectè extruitur demonstratio tertia ἀνασκευαστικὴ,de odio Dei erga Idumæos, cuius hæc sententia est:

Nihil dubium est, eam gentem rectè dici Deo exosam, quam Deus non solùm exilio,patriæq; excidio mulctauit:sed etiā nunquam patietur redire in patrium solum,& semel euersas vrbes reædificare,cuius etiā terminos improbitatis nomine infames,gētem autem iustissimę indignationis Dei erga eam infamia,perpetuò laborare patietur.Talis autem est Idumęa gens.Quis ergo dicat eam Deo charam esse?

Quarta autem Demonstratio,de amore Dei erga Israelitas, est κατασκευαστική.Eius hæc summa est:

Quis etiam dubitet eam gentem Deo curæ & gratam esse,quæ non tantùm, inæstimabili eius beneficio, in integrum restituta est,sed etiam porrò quoq; seruabitur:agetq́; intra terminos probitatis:ac spectabit iustę vindictæ Dei erga impias gentes,multa & manifesta documenta.

Talis autem est gens Israelitica.Hanc Minorem partim versu 4. καθ' ὑπόνοιαν:partim disertè,versu.5.Propheta extulit.

Itaq; statuamus,id quod res ipsa testatur, Deo charos & acceptos esse Israelitas:ac hos solos magnifica dei opera animaduersuros,Deūq; celebraturos esse.Iuxta dictum:Quis sapiens est, &

 obserua-

obſeruabit hæc: & aduertet animum ad miſericordias Iehouæ? Pſal.107 43.

Vtinam autem intra ὁροθεσίαν & terminos Eccleſiæ ſemper nos contineamus, & Dei iudicia & μεγαλεῖα conſideremus: ac tota vita diſsimillimi ſimus Epicureis illis, de quibus Iſaias pronunciauit, cap.5.12. Opus Iehouæ non reſpiciunt, nec opus manuum eius vident.

III. DE HVIVS LOCI VSV: SEV, DE IRRITIS HOMINUM cum Deo certantium, conatibus.

Plenæ ſunt omnes hiſtoriæ, plena eſt & tota vita triſtiſsimorũ exemplorũ, de ꝛs hominibus, qui ſuam volũtatẽ diuinæ antepo- nentes, maximo ſuo malo Siſyphi ſaxus voluerunt, & ſibi alijsq; auctores fuerunt maximorum malorum. Nos, vt alieno malo docti, abſtineamus ab omni ſpecie mali, negocium hoc [illegible], tractabimus. Dominus Ieſus det vt pia & vtilia dicamus.

1. Vt præcipuæ felicitatis eſt Dei voluntati promtè & libenter parere: ita extremæ infelicitatis eſt eidem aduerſari.

Etenim non niſi bona & ſalutaria, nobis ipſis precamur, ex Chriſti Ieſu præcepto. Precamur autem vt Dei voluntas fiat, Matthæi, 6.10.

Porrò ſtudiũ faciendi id quod vult Pater ille cœleſtis, Chriſto nos cõiunctiſsimos, & eius cauſſa beatos eſſe teſtatur. Matt.12.50. Quiſquis fecerit quod vult Pater meus qui eſt in cœlis, is eſt meus frater, & ſoror & mater.

2. Inter cæteras θεομαχίας formas & illa eſt, quæ hominum molitiones, Deo aduerſantes, complectitur.

Iuxta illud Gamalielis apophthegma: Et nunc dico vobis abſtinete ab hominibus iſtis, & ſinite eos, quoniã ſi ex deo eſt, non poteritis diſſoluere, (ac neſcio) an etiam cum Deo pugnare comperiamini, Act.5 38 39.

3. Conatus θεομάχοι diſtingui poſſunt Perſonarum, Rerum, Graduum vitæ & actionum, reſpectu.

In genere autem de iſtis formis omnibus, quæ ſuceſſu carent illud dictum meminerimus: Homo non poteſt recipere quicquã niſi fuerit ei datum è cœlo, Ioan 3 27. & illud Chriſti Ieſu dictum ad Pilatum, de ſua in illum poteſtate imprudenter gloriantẽ: Non haberes poteſtatem aduerſus me ullam, niſi tibi datum eſſet ſupernè. Ioan.9.11.

4. Perſonę

4. Personæ peccantes τῇ θεομαχίᾳ, aut nondum sunt illuminatæ luce Christi: aut illuminatæ quidem sunt, sed in tentationis παροξυσμῷ scotomate mentis & in tempore affectuum laborant: aut sicut planè alienæ à Dei regno.

Ad primum ordinem Saulus, nondum conuersus, blasphemus, psecutor & iniuriosus, referri potest. 1. Tim. 1. 13. Act. 9. Gal 1.

Ad secundum ordinem Petrus, apud Antiochenos aliquandiu non recto pede incedens, vt veritati Euangelij congruebat, & Barnabam aliosq; (pios alioquin homines) in eãdem simulationem suo exemplo abripiens, referri debet. Pugnat enim cum voluntate Dei, ista simulatio & claudicatio, in Christi & libertatis nostræ negocio.

Ad tertium ordinẽ pertinent ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ, Herodes Magnus, Nero, Diocletianus & similes, qui vel aperta vi, vel dolo malo, vt Iulianus Apostata fecit, Ecclesiã & Euãgelium, oppugnauerunt.

5. Si Res spectes exercetur θεομαχία, vel prẹiudicio, cũ bonẹ damnantur, malæ probantur: vel acquirendi, vel retinendi, vel impediendi, præpostero & pernitioso conatu.

Pharisæi præiudicio peccabant, cum zelum quidem Dei haberent, sed non ex noticia. Nam ignorantes Dei iustitiam, & propriam iustitiã studentes constituere, iustitiæ Dei non fuerunt subiecti. Rom. 10. 3. Et hac nostra ætate multi Euangelium, quod illis non innotuit, furenter aspernantur & damnant.

Adonias Dauidis filius, fratris Absolomi exemplo minimè doctus, dum submoto Salomone, regnum sibi acquirere contendit, cum fatis seu diuina ordinatione nequicquam certans, miserè perit. 1. Reg. 1.

Sedecias, dum violata fide qua Nebucadnezari deuinctus erat, vrbem Ierosolymorum tueri, & regnum retinere conatur, spreto Ieremiæ cõsilio, vrbi excidium, sibi maximas calamitates & exitium tragicum accersit, perinde vt Cæcias nubes.

Saul, metuens ne Dauid emergẽs, suis luminibus officeret, prẹpedire eum conatur: sed frustra. Verè enim dixit Persa ille apud Herodotum: ὅ τι δεῖ ἐκ θεοῦ γενέσθαι, ἀμήχανον ἀποτρέψαι. ἐχθίστη δὲ ὀδύνη τῶν ἐν ἀνθρώποισι, πολλὰ φρονέοντα μηδενὸς ἐπιτυχεῖν.

6. Qui de gradibus vitæ, vel conferendis vel consequẽdis, cum Dei cõsilio luctantur, θεομάχοι sunt. Gradus sunt Ecclesiasticus, Ciuilis, Oeconomicus,

Exercuerunt θεομαχίαν, & eius sceleris pœnas grauissimas dederunt, Corah quidem, cùm summi sacerdotij honorem Aaroni ademtum, sibi sumeret: Dathan verò & Abiram, cùm Mose à gubernatione populi Dei submoto, Reipub. administrationem sibi vendicarent, Num. 16.

Quidam πολυπραγμοσύνῃ sua cum Deo certant, vt Vsias Rex, sacerdotum officio fungens.

Infelix fuit serui Helisæi Gehasi θεομαχία, qua conatus est clam propheta sibi suisq; liberis opes parare.

7. Θεομαχία in actionibus conspicitur, tam in emissione diuinitus præceptorum, quàm in commissione diuinitus vetitorum. Cætera pijs vestris meditationibus commendo. nam, vt videtis, destituor ocio: & vix isthac proponere licet. Vestrum fuerit, vt cũ Platone loquar, ocio quo abundatis, vti ad sancta studia & exercitia: vt indies vobis ipsis & meliores & doctiores reddamini.

VERSVS VI.

Lectio 7. die emortuali Ioan. Chrysost. qui incidit in an. Chri. 410. Disce eius exemplo μὴ θέω παθεῖν: nō enim meliores.

Filius honorat Patrẽ, & seruus Dominũ suum: quòd si Pater sum, vbi est honor meus? & si Dominus sum, vbi reuerentia mei? ait Iehouah exercituum, vobis, ô Sacerdotes, contẽtores nominis mei, qui dicitis: Qua in re contẽnimus nomen tuum?

Hoc loco orditur Propheta principem oraculorum suorum partẽ, quæ iudicialis est, & constat grauissima accusatione Iudæorum, quos multorum & atrocium peccatorũ reos peragit. Nos ordinẽ singula κατηγορίας, seu accusationis capita, percensebimus: Deus autem det, vt ipsi gratia dicamus & faciamus.

DE CVLTVS DIVINI INTERMISSIONE ET PROfanatione, primum Accusationis Caput.

Initio γνώμη, de adiũctis filiorum & seruorum, velut aurea basis, substernitur toti contestationi: & quidẽ eo consilio, vt ex ea colligãt Iudæi, non esse Deo Patri & Domino debitum cultum honoris & reuerentiæ derogandum: quem in suo genere & gradu, ipsi sibi à liberis & seruis suis, officiosè præstari vellent: nisi fortè persuasum haberẽt, non tam Dei cultu, quã de suo honore, solicitos esse debere, quod perquam absurdum sit. Erat autem operæpretium, de fidei luce falsò gloriantibus, naturæ legem omnibus notam, eo consilio inculcare, vt tandem discerẽt, primam esse de pietate erga Deum legem: proximam autem de amore cultuq; parentum

tentū & superiorum:nec hanc, illa planè neglecta, vrgēdam esse: cum indigni sint honore liberorum & reuerentia seruorum suorum, qui per sacrilegiū modis omnibus detestandum, Deo debitum cultum, subtrahunt & omittunt.

Secundo loco subiungitur à Propheta, ἡ ἀκατηγορία, accusatio Iudæorum, Deum non ita vt par erat colentium. Indignitatem autē rei, ὀξυμώρῳ adhibito, declarat, cum ait: Quòd si Pater sum, vbi est honor meus? &, Si Dominus, vbi reuerentia mei?

Bis peccant, qui de deo tanquā Domino & Patre suo gloriantur, nec tamen ei honoris & reuerentiæ debitum cultum præstant. Quid enim est Deum irridere, si hoc non est, eum videlicet cultu non prosequi, quem Patrem & Dominum te agnoscere dicas?

Vos autem Iudæi Iehouam Patrem & Dominum vestrum esse gloriamini, nec tamen eum honore & reuerentia ea, qua par est, prosequimini. Hanc Minorem Malachias magna cum δεινώσει vrget, & Iudæis exprobrando inculcat. Extant autem & similia dicta, Ioan. 8.41. Dixerunt Iudæi Christo Domino: Nos ex scortatione non sumus geniti, vnum Patrem habemus, nempe Deum. Itē, Rom. 2.17. Ecce tu cognominaris Iudæus, & acquiescis in lege, & gloriaris in Deo. 18. Et nosti (eius) voluntatem, & exploras quę discrepāt, institutus ex Lege. 23. Qui de lege gloriaris, ꝑ legis transgressionem Deum dedecoras? 24. Nam nomen Dei propter vos blasphematur inter Gentes.

Quare nemo intelligens non clarissimè videt, vos Iudæos bis peccare: idemque de vobis dici posse, quod de Ethnicis (seculis aliquot pòst) Apostolus scripsit: Inexcusabiles sunt, propterea quòd quum Deum cognouerint, tamen vt Deum non glorificauerunt, neq; gratias ei egerunt: sed vani facti sunt in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est desipiēs cor eorum, Roman. 1.20.21.

Tantum autem abest, vt Iudæorum erga Deum ἀσέβειαν, seu impietatem, generis nobilitas, & Legis Mosaicæ cognitio, excuset: vt etiam ad eam augendam plurimum vtraq; faciat. Quis enim à Maiorum laudatissimorum, Abrahæ, Isaaci, Iacobi, Iosephi, Mosis, Dauidis & aliorū, fide egregia & sincera deficientes, neget grauissimam mereri reprehēsionem? Deinde, quo plenior fuit legis noticia in Iudæorum, quàm in Ethnicorum animis, tantò maior

illorum legem violantium culpa fuit. Nota est illa filij Dei senten tia verè cèloria: Ille autē seruus qui nouit voluntatē Domini sui, nec se cōparauit, nec fecit ex volūtate eius, cędetur multis plagis: qui verò non nouit, & fecit digna plagis, cædetur plagis paucis. Porrò cuicunque multum datum est, multum repetetur ab eo: & apud quem deposuerunt multa, amplius reposcent ab eo. Luc. 12. 47. 48.

Tertiò, Ex hac totius gentis Iudaicæ reprehensione ob intermissum & violatum veri Dei Iehouæ exercituum cultū, peti debet iudicium, de ea impietatis specie, quæ à noticia Dei distrahit eius cultum, qui tamen indiuiduo cum illa nexu coniunctus esse debet.

DE NOTICIAE DEI ET EIVS CVLTVS DIuortio, *Locus communis.*

1. Impietas est modis omnibus detestanda, Deū quem noueris, vt Deum non glorificare, Rom. 1. 18. & 21.

Nam, vt pręclarè dixit Augustinus, Epist. 52 Pietas est verus Dei cultus. Perinde autem est, siue quis nullum Deo, à se cognito, cultum deferat: siue eum, vt sui cordis idolum, cōmēticio genere cultus ei colat: cū vtrāq; illā impietatis formā, deus iure detestetur.

2. Deum verò, non vt Deum glorificant, qui veram Dei noticiam, à vero eiusdem cultu, separant.

Non enim innotescere solùm vult, sed etiā et suo pręscripto ritè coli: ac quum secus quàm ipse vult colitur, summa iniuria & contumelia afficitur. Scilicet tressis homo, filio aut seruo, requiret officia sibi grata, ex præscripto suo: nec boni consulet, si eo neglecto, alia pro suo libitu confingant præstētq;: idem tamen pro sua libidine, non autem ex pręscripto Dei, Dominum & conditorem suum, cuius precario beneficio, omni temporis puncto spiritum ducit, colet?

3. Omissis autem Ethnicis, qui vel nullum vel commenticium cultum Deo præstiterunt: de ijs, qui Ecclesiam militantem diuortium noticiæ & veri cultus Dei introducere conati sunt, agemus.

Inter Ethnicos illos & hosce Ecclesiæ turbatores, hoc interest, quod illi quidem omnem illam Dei colendi rationem, diuinitus præscriptam, reiecerunt: & alias atq; alias formas colendi deum commenti sunt, & magna cum superstitione exercuerunt: vt est videre in tota historia de εἰδωλομανίᾳ Ethnicorum: Isti verò, ne contemtores

temtores viderentur diuinarum sanctionum de cultu Dei, subdo le literã cultus diuinitus præscripti retinuerunt: sed spiritum, qui tamen anima est pietatis, omninò neglexerunt & prętermiserũt.

4. Pseudoprophetæ olim, dum literam occidentem, in Sacrificijs, in Sacramentis, in Cultu diuino, solicitè requisierunt: Spiritus autem in iisdem nullam planè rationem habuerunt, distraxerunt cultum Dei ab eius noticia.

Non enim sic se patefecit Deus, nec ita voluit agnosci, quasi qui vnicè delectaretur, ceremoniario cultu & ieiunis & infirmis mũdi Elementis Ideò ἀκῆλ τι, negat se pręcepta de ijs præstandis vnquam tradidisse. Ierẽ. 7.22. Non enim sum loquutus cum Patribus vestris, nec præcepi eis die quo eduxi eos è terra Ægypti, de holocaustis & victimis, 23. Sed verbũ hoc præcepi eis, dicẽdo: Obtẽperate voci meæ, & ero vobis in Deũ, & uos eritis mihi in populũ: & ambulate in omni via quã pcepero vobis, vt benè sit vobis.

5. Pontificios autem noticiam veram Dei, ab eius cultu seiunge re, res ipsa, proh dolor, testatur.

Primùm enim, prorã & puppim salutis suę, in ceremonialibus & moralibus operibus externis numinum delectatur Dominus, (si quidem non præstentur ex fide.) reuera collocant:

Deinde, quasi non contenti esse debeamus eo cultu, quẽ Deus pręscripsit: alioq; magis operoso & decoro nos defungi oporteat ad σωμαζικὴν γυμνασίαν exercendã, Traditiones humanas ἀγράφως addunt: ac imaginãtur sibi ridiculũ quoddã Numẽ, quod delectetur, Missis histrionicis, prostitutione Idolorũ ad cultũ, Monachatu, baptismo campanarum, peregrinationibus ad delubra diuorum, consecratione aquæ, olei, lardi, ouorum, panis & sexcentis alijs terriculis.

6. Distrahũt & illi cultũ Dei ab eius noticia, qui nunqã non occinunt & requirũt auscultationẽ verbi, priuatũ publicũq; vsum Eucharistiæ, absolutionẽ, obedientiã Ministerio debitã: nec tamẽ de fidei obedientia, de re Eucharistiæ, quæ cœlestis est, de fiducia remissionis peccatorũ per & propter Christũ, deq; Dei verbo, vt Dei verbo annũciando, interea vnquã agũt Atqui stat illud Apostoli: Gloria verò, & honor & pax cuius operãti bonũ, Rom. 2. 10. Itẽ, In Christo Iesu neq; circũcisio quicquã valet, neq; Præputiũ: sed fides per charitatẽ agẽs, Gal. 5. 6. Quid prodest, inquit, Gregorius Naziãzenus, manibus vinctis, armare linguas? Hoc est, vt

cũ apostolo nostro loquar, deũ profiteri se scire, sed factis negare, Tit.1.16. Quid etiam profuerit sæpius vti cœna Dominica, sed ad iudiciũ? Hæc eo nomine dico, vt videatis, etiã atq; etiã operã nobis dandã, ne dum Pontificijs fabulam de opere operato exprobramus, eandem alio velatam protextu, per posticum in Ecclesias nostras irrepere patiamur. Qui verè norunt deum spiritum esse, ijdem conueniente cultu, spiritu inquam & veritate adorandum esse persuasum habeãt, Ioã.4.24. ac in verbo & Sacramẽtis, quibus meritò plurimũ deferunt, non in litera & elementis mundi subsistunt, velut labyrinthis conclusi: sed ad verbi & Sacramentorum autorem Christum, ideo fide contendunt, quòd rei, quæ in verbo & Sacramentis repræsentatur, exhibitorem esse, plenè persuasum habent.

7. Priuatim autem Dei noticiam & eius verum cultum, impiè distrahunt, qui labijs, non corde Deum colunt.

Non enim labijs nos sibi appropinquare, corde verò recedere Deus vult, Matth.15.8. Ies.29.13.

Huius autem diuortij domestica testimonia sunt, intermissio precum quotidianarum, aut perfunctoria earum recitatio: Lectionis Biblicæ neglectio: omissio gratiarum actionis pro tot tãtisq; Dei beneficijs, quæ nunquam non percipimus: odium fratris, Matth.5.23.24. Eleemosynæ & charitatis officiorum negatio & alia. Ah fili Dei Iesu Christe, da nobis, indignis tuis seruulis, ne tepidi simus in pietatis negocio & exercitijs: da vt incalescamus in pietatis & iustitiæ perpetuo sanctissimoq; studio: da vt nos totos tibi offeramus hostiam placentem & rationalem cultum.

Quartò, occurrit Apostrophe ad Sacerdotes, quos oportebat cultus diuini vindices καὶ ἐργοδιώκτας esse.

Ait Iehouah exercituum, Vobis, ô Sacerdotes, cõtemtores nominis mei: qui dicitis, qua in re contemnimus nomen tuum?

Diluit autem Propheta Sacerdotum vanam opinionem, quasi impietas Populi Iudaici nihil ad ipsos attineret.

Nihil ad nos Antistites, quod ignobili vulgo obijcitur. Atqui cultus diuini profanatio & intermissio, quæ duo cum nominis diuini contemtu coniuncta sunt, Iudaico populo obijciuntur. Ad nos igitur nihil istæ reprehensiones, &c.

Respondet Propheta κατ᾽ ἐξοχήν. Immò verò, ad vos Sacerdotes ista pertinent, vobis præcipuè ista dicuntur.

Etenim

Etenim impietas populi iure accepta refertur illius Antistitibus & antesignanis, officium piè docendo, hortando, corripiendo, & sanctè viuendo, non facientibus.

Hanc Maiorem probat Malachias, ab ipsius Dei testimonio.

Vos verò, Sacerdotes, officium vestrum hactenus nō fecistis, siue quis doctrinam, siue Ministerium vobis delegatum, siue vitam, quam innocenter actam oportuit, consideret.

Hanc Minorem probat Propheta, allegatione impudentis inficiationis Sacerdotum, id quod tamdiu fecerat, proteruè negantium: Qui dicitis, Qua in re contemnimus nomen tuum? Est autem extremæ impudentiæ, id negare quod non modò Iehouah ipse contestatur: sed etiam res ipsa clamitat, opera loquuntur.

Quare vobis Sacerdotibus, id quod de impietate populi dictū est, dictum esse memineritis.

QVANDO IMPVTANTVR POPVLI PECCATA *Ecclesiæ Ministris?*

Quum hi non quæ sunt Dei, sed quæ sua sunt quærunt: & vt beatus Hieronymus alicubi ait, in Christi militia seculi huius lucra venantur. Inde enim fit, vt seipsos pascant, non gregem Domini: vt dispęrdant, eijciantq́; oues, & non visitent eas. Ier. 23. 2. vt deniq; vel nolint, vel non audeant peccantes, & eo nomine periclitantes, seriò reprehendere. Notum est oraculum Ezechielis, cap. 33. 6. Speculator verò si viderit gladium venientem, & non clanxerit tuba, & populus non custodierit se, venerit q́; gladius, & tulerit ex eis animam suam: ipse propter iniquitatē captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris illius requiram.

Vtinam hoc nunquam non cordi sit Ecclesiarū Ministris, eoq́; nomine nusquam desint officio, sic vt cum apostolo Paulo dicere possint: Testamur vobis hodiè, quòd mundi simus à sanguine omnium. Non enim subterfugimus, quo minus annūciaremus vobis omne consilium Dei, Act. 20. 26. 27.

Obtestor autē, per sanctū nomē Iesu Christi Principis pastorū, eos omnes, qui aliquando legitimè vocati, accessuri sunt ad sacrū verbi diuini Ministerium & liturgiam Pastorum Ecclesiæ, vt hoc sibi habeant persuasum, sibi ouium suæ fidei commissarum nomine, Deo rationem olim reddendam: ac eos quidem qui bona fide alios ad iusticiam erudierint, instar Siderum illustres fore in regno Christi: eos autem qui docendo, hortando, piè viuen-

do non fecerunt officium, sed quæ sua videbantur quæsiuerunt, dissecandos, ac cum hypocritis partem esse habituros.

VERSVS VII.

Lectio 8. 15. Sept. *Qui afferentes super altare meum cibum pollutum, dicitis: Qua in re polluimus te? In eo quod dicitis mēsam Iehouæ contemtibilem esse.*

Pulcherrima est τῶν λόγων methodus in hac Malachię Sacerdotes reprehendentis, oratione, ideò religiosè eam sequemur. Probat Minorem præcedentis Syllogismi, in qua contemtum diuini nominis Sacerdotibus obiecerat, hoc Argumento:

Quibus non est religio cibum pollutum super altare Iehouæ offerre: & interim quasi re præclarè gesta Iehouæ oggannire, & dicere: Qua in re polluimus te? illi certè contemtores sunt nominis diuini.

Panem, seu cibum pollutum Malachias vocat pecudes mācas, & alias res, quas tāquam profanas, lege & instituto Domini, offerre non licebat, vt ex versu 8. liquet.

Maioris probationem ex lege, de victimarum, quas Deo fas erat offerre, conditionibus, petere licet. Quis dubitet eos esse dei contemtores, qui contra expressam eius legem, scientes & prudentes agunt? Atqui Sacerdotes pollutum panem seu cibum offerentes, αὐτοχείρως violabant legem, quæ extat Leuit. 22. 19. Spontè vestra offeretis immaculatū masculum, ex bobus, & ex agnis, & ex capris. 20. Omne in quo fuerit macula non offeretis, quia non acceptabile erit pro vobis, &c. Ideo Dominus apud Isaiā, cap. 66. 3. Qui, ait, immolat bouem, perinde peccat atq; qui interficit virum: qui immolat pecus, vt qui iugulat canem: qui offert oblationem, est vt qui offert sanguinem suillum.

Atqui vos Sacerdotes affertis super altare meum cibum pollutum, & dicitis, qua in re polluimus te? In eo quod dicitis, Mensam Iehouæ contemtibilem esse.

Quasi verò non tanti faciendus sit Dei cultus, vt non nisi legitimæ victimæ à Sacerdotibus offerendæ, & proinde à populo exigendæ sint? Non erat ignota Sacerdotibus hæc sanctio: Quòd si fuerit in eo macula, aut fuerit cæcum vel claudum, aut quouis alio vitio deturpatum, non sacrificabis illud Iehouæ Deo tuo, Deut. 15. 21.

Iam verò sacri ministerij, liturgiæ & typicorum sacrificiorum, quæ tum locum habebant, contemtus, redundabat in contumeliam institutoris Dei.

Ex his rectè colligit Propheta, Sacerdotes contêtus diuini nominis, quod illis summo studio erat sanctificandum, reos esse: & planè inexcusabiles.

LOCVS COMMVNIS DE IIS, QVI DEO POLlutum cibum offerunt.

Apostolus Paulus, istos homines describit καπηλεύοντας, cum eis opponit sinceros doctores. 2. Cor. 2. 17. Non enim, vt plerique cauponamur sermonē dei, sed vt ex sinceritate, sed vt ex deo in conspectu Dei de Christo loquimur.

Pollutum ergo doctrinę cibum offerunt, qui verbi diuini præconio sic fungūtur, vt nec diuini nominis glorię, nec Ecclesię vsibus illud seruiat. Etenim verbū dei, fermento pharisaicarum opinionum vitiatum, Matt. 16. 12. & arte compositis fabellis pictū, eo consilio venditāt, vt quæ sua sunt, quærēt. Neq; verò, qui eiusmō di sunt, Domino nostro Iesu Christo seruiūt, sed suo ventri: & per blandiloquentiam & assentationē, corda hominum minimè malorum seducunt, Rom. 16. 18.

In horum numero fuerunt olim Pseudoprophetę, Sacerdotes isti quos Malachias accusat, Pharisæi, Sadducæi, Pseudoapostoli: nunc verò sunt neoterici Pelagiani & eorum Sectatores.

Peccant autem, pollutum doctrinæ cœlestis panem offerendo & ij, qui retinent quidem doctrinæ sinceritatem, sed tamen veritati, sanctissimæ virgini, addunt meretricium comitatum: dum in sacris suis concionibus, non abstinent ab obscœnis vocibus, à poetarum fabulis, à comica dicacitate et scurrilitate, à conuicijs & anathematismis iniustissimis, & ab alijs sordibus: denique cū in toga saltantis personam introducunt, nulla grauitatis Theologicæ, nulla sacri totius Ecclesiæ silentij, nulla deniq; dei & Angelorum Electorumq; hominum qui prēstò sunt, ratione habita.

Cur autem hi tantopere execrantur, plusquam sacrilegum facinus, Monachi illius prædicatorij Ordinis qui Anno Domini 1313. 24. Augusti laudatissimo Imperatori Henrico VII. apud Bonconuentum Senensis agri oppidum, venenum præsentissimū in pane Eucharistiæ exhibuit: cū ipsi panē cœlestis doctrinæ, nequaq̃ citra saliuā, sputum & venenum facetiarum, scōmatum, virulen-

tiæ,præiudicij, & condemnationum iniquissimarum, dispensent miseris auditoribus? Num existimant minus esse periculi, si Dei verbum non sincerè prædicetur,siq; seruire cogatur inconsultorum hominum intemperiei & imposturæ: quàm si panis Eucharisticus veneno inficietur?

Ad eundem ordinem referri debent, qui nō citra impiam profanationem Sacramenta administrant.

Vt cum Baptismus fœdè conspurcatur sputo,puluere,exorcismis (quasi cum dæmoniaco negocium sit) & alijs sordibus:& cū eius administrandi auctoritas ijs permittitur,quibus verbi & Sacramentorū Ministerium, non est legitimè demandatum: Verbi gratia, Sedentibus in Ecclesia, seu Auditoribus: deliris aniculis: quas si fas est baptizare paruulos,in casu necessitatis(quem confingunt quidam)cur non eisdem liceat in casu necessitatis, ægro tantùm administrare Cœnam Domini, cum par vtrobiq; ratio sit?

Sed non addam plura hoc tempore: Deum potius comprecabor, ut semper nobis præficiat Antistites eos, qui sinceritatis & decori ac fidei sint amantissimi & studiosissimi,in omnibus sacri sui muneris partibus: & quibus nequaquā despecta videatur Iehouæ mensa,sic ut pudeat eos sacri Ministerij:malintq;(modò citra infamiæ notam,reiq; familiaris iacturam, id fieri queat) illud deserere,quàm vita & diligentia sua ornare & tueri.

VERSVS VIII.

Nam cum offertis animal cæcum,ad sacrificandū,nihil ne est mali? & cum affertis claudum aut ægrotum,nihil ne est mali? offer illud iam Duci tuo, an acceptum habiturus sit te, aut an suscepturus vultum tuum,ait Iehouah exercituum.

Probat Minorem præcedentis Syllogismi. Quicunq; cōtra Legem offerunt victimas cæcas, claudas, mancas, ij cibum pollutū Deo offerunt.Iuxta illud: Vir autem cum obtulerit sacrificiū pacificorum Iehouæ,ad soluendum votum, aut ad voluntariè offerendum,ex bobus, vel ex ouibus, immaculatum erit acceptabile Deo,nullum vitium erit in eo.Cæcum,aut fractum,aut concisum labijs,aut verrucatum, aut scabiosum,aut impetiginosum,nō offeretis ista Iehouæ, neq; oblationem ignitam dabitis ex his super altare Iehouæ. Et bouem & pecus superfluum, aut diminutum, pro oblatione voluntaria facies: at pro voto non placebit. Concussum

cussum & contusum, ruptum & excisum non offeretis Iehouę, & in terra vestra non facietis, Leuit. 22.21.22.23.24.

Vos autē, ô Sacerdotes, eiusmodi victimas mancas obtulistis.

Cibum itaq; pollutum, Deo obtulistis.

Minorem probat, Etenim, quæ vel Duci dono dare vos pudere poterat, ea ipsi Deo, Regum Regi, offerre ausi estis. In hac autē asseueratione, conscientiæ appellatio est, ἐμφάσιν gratia, &c.

DE EA IMPIETATIS SPECIE, QVA MINVS DEFERTVR *immortali Deo, quàm mortalibus homuncionibus.*

Hypocritarum hic familiaris morbus est, hominum gratiæ aucupandæ & demerendę, solicitè incumbere: de Dei aūt gratia, carnalem quandam fiduciam fouere.

Huius fiduciæ ludicra fomēta sunt, ceremoniosus Dei cultus, & ἀνάμνησις gloriosa nescio quorum meritorum: ut est videre in oratione Pharisæi, Luc. 18.11.12.

Coniuncta autem est illa fiducia cum vana opinione, de Deo meritis deuincto & obligato: quæ è diametro pugnat cū illo Spiritus sancti dicto: Quid autem habes quod non acceperis? quòd si etiam accepisti, quid gloriaris, ut qui non acceperis? 1. Cor. 4.7.

Quantum impietatis in ea sit, vel ex eo liquet, quod Deo illudit, & ei fucum facere conatur. Quid enim est Deo illudere, si hoc non est, optima quidem hominibus, quorum beneuolentia opus esse videtur: pessima autem Deo, offerre. Vt ἄθεος ille Lucianus, Prometheo vitio à Ioue datum nugatur, quasi qui carnium loco, ossa pinguedine obducta Dijs obtulisset: sibi carnes retinuisset.

Quid autem aliud faciunt, qui Deo appropinquant ore suo, & labijs eum honorant: corde autem longissimè ab eo absunt? qui doctrinas, quæ sunt mandata hominum, studiosè discunt & profitentur: cœlestem verò doctrinam, & legem diuinitùs latam, negligunt? qui peregrinantibus animis sacras audiunt Conciones, & sacra Eucharistia seipsos minimè probantes, abutuntur? qui deniq; iuga boum à se emta, agros, cōiuges pluris faciunt quàm cœnam Agni, Luc. 14.

Peccant in hoc genere & ij ministri verbi, qui ne quos offendant, muti canes sunt: qui Principes, venationibus, aliæ & alijs non serijs rebus, adeò immersos, ut præ his negligant Rempubl. ut segetes à feris vastari patiātur, ut in miseros agricolas duriores æquo sint, non admonent officij ęlementiæ, humanitatis: qui in-

 uehuntur,

uehuntur, non in luxum, in iniusticiam, in vsuras, in superbiam in aulicum fastum, in peccata sua & populi: sed in conseruos, Christum Iesum θεάνθρωπον, vnicũ Redemtoré mundi confitétes, & aduersus Antichristum in prima acie stãtes & fortiter viua voce eruditis scriptis, sæpenumerò etiam sanguine suo, & iactura fortunarum pugnantes. Sed videt hęc & iudicat Deus.

Nos τὰ τοῦ θεοῦ πρεσβύτερα ἢ τὰ τῶν ἀνθρώπων statuentes, Deo vni nos totos & omnia nostra consecremus & sanctificemus, Amen, Amen.

Lectio nona. 24. Sept.

VERSVS IX.

Nunc itaq; deprecamini faciem Dei fortis, vt gratiam faciat nobis, dum è manu vestra est hoc, an suscepturus est (vlliùs) ex vobis vultum? ait Iehouah exercitum.

Initio phrases paucis exponam: deinde ad sententiam declarandam accedam: Dominus Iesus det vt ipsi gratia, & nobis salutaria dicam.

Deprecari faciem Dei fortis est, precibus, sacrificijs & alijs humilitatis exercitijs, deum iratum placare, & gratiam illius demereri velle.

Gratiam deus facere dicitur, quum & cultoribus & alijs benefaciendo, se illos in gratiam recepisse, cultumque sibi præstitum probauisse, testatur.

In manu hominum aliquid esse dicitur, quando nec vitæ, nec diuini cultus propositum homines mutant: sed se rectè omnia facere, nec quicquam iure ipsis posse vitio dari, putant: nec diuersa suadentibus, obtemperant.

Suscipere vultum alicuius deus dicitur, quando cultum ab eo sibi præstitum, probat. Correlatiua loquendi formula extat Gen. 4. 4. & 5. Respexit auté Iehouah ad Abel, & ad oblationem eius. Ad Cain autem & oblationem eius non respexit.

Sententia est Ironica, Agite, inquit Malachias, deprecamini, seu colite, ad eum modũ Iehouam: & si fieri potest, gratiá eius demereminí: nam hoc in vestra potestate situm esse putatis. Hactenus Ironica concessio, qua vtendum erat erga σκληροτραχήλους & capitosos Iudæos, qui sibi propter corporalem exercitationem & ceremonialiem cultum mirificè placebant. Sequitur αὐτοκαταγωγὴ, quę interrogatione, seu conscientiæ appellatione constat: Sed anne

vobis

vobis persuasum esse potest, Deum vel vnius alicuius è vobis, ne dum multorum aut omnium vultum esse suscepturum?

Locus Communis.

Propositum nobis est ostendere, Deum, cultu bonæ intentionis non placari: sed offendi.

1. A' finitione. Offenditur Deus eo cultu, qui illi defertur humano arbitrio prælucente, & qui hominis gloriæ seruit. Atqui talis est cultus, quem bona intentione, homines Deo præstant. Primũ enim tanto studio humanarum traditionum afficiuntur, ut per ea Dei mandata irrita faciant: Matth 15.6. Deinde, cum vel à Deo præscriptis operibus externis, tanquam suis munijs utcunq; defunguntur, omnia tamen arroganter ad suam gloriam referũt, ut monet Pharisæi exemplum, Luc. 18. 11. 12. Itaq; eo cultu Deus offenditur.

2. A' speciebus, quibus bonę, quam vocant, intentionis cultus constat. Non delectatur Deus ludicris crepundijs externorum operum, quæ ipse nunquam præcepit. Est enim spiritus, ac spiritu & veritate adorari, cultũq; rationale sibi præstari, vult, Ioã. 4. Rõ. 12. Atqui bonæ intentionis cultus eiusmodi crepundijs constat. Vt Carthusiensis Monachus, bona sua intẽtione frustrà inflatus, fingit sibi Deum, qui delectetur solitaria uita, esu piscium, abstinẽtia à carnibus, raso vertice, cuculla, χαμευνίᾳ. Iudæus, circumcisione sua, abstinentia ab esu suillarũ carnium, & nescio quib. nugis, Deum delectari existimat, eoq; in illis est superstitiosè operosus.

3. Non est homini prudenti reclamandum experiẽtiæ. Hæc autem reipsa probat, displicere Deo eiusmodi cultum: vt hoc loco Malachias, ad experientiam prouocans, perspicuè indicat. Itaq; ne nobis dubium sit, intentionis bonæ cultum deo displicere.

4. Quod in deum contumeliosum est, non potest ei placere. Cultus ille bonæ intentionis in Deum est contumeliosus. Itaq; Non potest non illi vehementer displicere. Minor probatur, Primùm, quia eorũ est, qui cum deo de sapientiæ laude certãt, quasi hominibus, terrę inquam filijs rectius cõstare possit, qua ratione deus sit colendus, quam ipse potuerit præscribere. Deinde, quia impedimento est exercitijs veræ pietatis & charitatis, Matth. 15. Postremò, quia fingit in hominis viribus & potestate positum, non autem merum dei donum esse, rectè deum colere. Nos illud

Christi meditemur:Sed frustra me colũt, docẽtes doctrinas quæ sunt mandata hominum.Matt.15.9.Si enim exoterico illi historico Liuio,visum est,Religionem piè magis, quàm magnificè coli debere,quid nobis Christianis sit deferendum ieiunis mundi elementis,nequaquam obscurum est?

VERSUS X.

Quis etiam inter vos est, qui claudat fores gratis? aut num illustratis altare meum gratis? nulla est mihi delectatio in vobis, ait Iehouah exercituum, et munus acceptum non habebo è manu vestra.

Fatendum est hoc esse secundum τῆς ὀργασίας argumentum, quo ostendit quid caussæ sit quòd nec Sacerdotes, neq; eorum oblationes,deo placerent.

Sunt autem qui existimẽt,sententiam esse: Nemo,vel ex Ianitoribus templi,quorũ munus erat præstare,ne quid pollutum inferretur in domum Iehouæ:vel ex Sacerdotibus,quorum erat victimas immaculatas Deo offerre, vnquam quicquam diligenter præstitit,citra largam dei remunerationem:qui quod promisit fideliter quoq; præstat. Iuxta illud:Honorãtes me honorabo:contemnentes autem me contemnentur.1. Samuel. 2.30. Hanc sententiam si quis sequatur,animaduertet ea refutari quærelam Sacerdotum:Mensa Iehouæ contemtibilis est. suprà vers.7.

Certum verò est benedicere deum vbertim ijs, verbi sui ministris,quibus in toto suo munere nihil antiquius,nihil etiã magis cordi est, quàm dei gloria & Ecclesiæ ædificatio. Ac vt maximè terrena bona illis subtrahantur, cœlestia tamen & spiritualia, quæ omnium sunt præstantissima, maiore copia à deo ipsis subministrantur. Habet enim pietas, non præsentis vitæ solùm, sed etiam futuræ,amplissimas promissiones.

Sed tamẽ si quis illud cogitet,quare citra delectũ victimas accumulari voluerint Sacerdotes, animaduertet turpissimi lucri cupiditatem,quã Paulus αἰσχροκερδείαν vocat, heic grauiter perstringi. Est enim Ecclesiæ dei nocentissima hæc, quando Antistites persuasum habent pietatem esse quæstum: & eo nomine accumulandis donis & sacrificijs occupati precationis domum,in la[...]num speluncam conuertunt.

[...]entia itaq; hæc erit,Cum nemo vestrum,ò Sacerdotes,vlla

parte

parte sui muneris defungatur gratis, quis miretur Deo ingratissimum esse cultum quem præstatis?

Sic autem argumentatur Dominus:

Impossibile est vt mihi placeat cultus, cum mihi displicent cultores. Nã vt sunt ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, κοὐκ ὀνήσιμα: ita cultus quem homines Deo ingrati præstant, ipse quoq; ei est ingratus.

Vos autem Sacerdotes vehementer displicetis.

Itaq; cultus quoq; quem mihi præstatis, est mihi ingratus.

Minorem probat. Quis enim miretur Deo eos cultores displicere plurimũ, qui nisi lucri bonus odor aspiret, nihil in honorem illius facturi sint.

Atqui in horũ numero vos Sacerdotes estis. Hãc Minorẽ probat ab exemplis Ostiariorum & Sacerdotum qui nihil agebant, nisi quæstus & commodi spe illecti. Idem aũt de cæteris ceremoniarij cultus administris statuendum esse, tacitè innuit.

Certum itaq; est vos mihi displicere.

QVORSVM AVTEM HAEC OMNIA TENDVNT?

Eò tendunt, vt Iudæi tandem aliquando discerẽt, in cultu diuino, non opus externum, sed Dei gloriam: non quæstum Sacerdotum, sed obediẽtiam erga deum spectandam: & omnia decenter, ordinè, hilari corde, præstanda esse, tum vt Deus honore debito per fidem afficiatur, tum vt is honos spiritu potius, quàm litera et corporali exercitatione constet.

Locus Communis.

Quum Deo displicent cultores, displicet etiam cultus.

Rationes huius Theseos multæ sunt. Sed nos his iam contenti erimus.

1. Quia arbor putris non fert fructum bonum, Matt. 7. 18. sunt autem infideles illi Deoq; exosi homines, arbores putridæ. Itaque non proferunt diuini cultus fructum Deo gratum.

2. Qui omisso cultu spiritus, literæ cultu defunguntur, illi vnà cum suo ceremoniali cultu deo sunt abominabiles, Isa. 1. 13. Ne addatis offerre sacrificium mẽdax: suffimentũ abominatio est mihi: calendas, & sabbathum, quòd conuocetis conuocationem, non possum ferre iniquitatẽ cum cœtu. 14. Calendas vestras et abominationes vestras odio habet anima mea, sunt mihi oneri, fatigatus sum sustinendo. Atqui nullo alio cultu defunguntur hypocri-

tæ illi, Deo modis omnibus ingrati & exosi: Rom. 2. 28. 29. Matth. 15. 8. Isa. 9. 13. Appropinquat mihi hic populus ore suo, & labijs me honorat: cor autem eorum lōgè abest à me. Sed frustrà me colunt docentes doctrinas quæ sunt mandata hominum.

3. Quicquid non est ex fide, peccatum est, Romanorum 14. 23. Atque totus ille cultus ex fide non est: quî enim ex fide fit cum ab infidelibus & superstitiosis hominibus præstetur? Est igitur peccatum, quod deo placere non potest.

4. Qui nesciunt quid colant, ij, vnà cum suo cultu deo placere nequeunt, Ioan. 4. 22. Atqui illi cultores deo exosi nesciūt quid colant. Fingunt enim sibi Idolum quod nusquam est, & quod delectatur ieiunis mundi elementis, humanis constitutionibus & figmētis, qualia sunt Monachatus, Missa, peregrinationes ad delubra sanctorum & alia eius farinæ commenta.

Lectio. 10. 15. Septēb.

VERSUS XI.

Sed ab ortu solis vsque ad occasum eius, magnum erit nomen meum in gentibus: & in omni loco suffimentum afferetur nomini meo, & munus purum, quia magnum nomen meum erit in gentibus, ait Iehouah exercituum.

Cupio, quoad eius fieri potest, summa cū perspicuitate istud oraculum vobis exponere: amo enim lucē & veritatē. Dominus Iesus, qui est lux mūdi & veritas, duce Spiritu suo sancto ducat nos in omnem veritatem.

Primùm autem Antypophoram, quæ hoc loco propter filium dictionis propheticę & seriem argumentorum, consideranda est, enucleare studebo.

Deinde subiungam enarrationem vaticinij, de vocatione Gentium.

Tertiò, eius vocationis caussas ex Deuteronomio & Epistola ad Romanos petitas, recitabo.

Postremò, qua στρεβλολογίᾳ Eccius & alij Papistæ, hunc locum ad Missaticum suum idolum fulciēdum, adhibuerint, paucis ὡς συνόλως, indicabo.

I. ANTYPOPHORA.

Odiosa Sacerdotibus populoq; Iudaico, & perquàm molesta erat oratio, quæ testabatur, & cultū quem illi Deo hactenus prę stitissent, & ipsos λειτουργοὺς Sacerdotes, deo displicere & meritò esse

exosos.

exosos. Nihil enim minus ferre possunt Hypocritæ, quàm se & θρησκείαν seu cultū, quo superstitiosè defungūtur, non magni fieri.

Sic itaque argumentabantur: Non est consentaneum eos displicere, qui magnum dei nomen, cuius à reliqua generis humani parte nulla habetur ratio, sanctificant, & in sacra æde quotidie suffimentum incedunt, muneraq; offerunt. Hęc omnia Ierosolymis quotidiè à nobis peraguntur. Est igitur iniquū præiudiciū, dicere quòd & hic cultus diuinitùs institutus, & eius cultores, deo non placeant.

Respondet Propheta per Antypophoram. Quis verò multum tribuat literę seu ceremoniali cultui, à paucis quibusdam turpisq; lucri cupidis Sacerdotibus, in angulo orbis, deo perfunctoriè præstito: præ cultu spirituali, ab omnibus gentibus, hilari corde, ad dei gloriam, diligenter propediem præstando? Vester, ò sacerdotes, illius modi est: sed instant tempora optatissima, in quibus vbiq; Gentium, Iehouah celebrabitur. Sistent enim fideles isti Dei cultores, non pecudes aut armenta: sed corpora sua, hostiam viuam, sanctam, acceptam deo, rationalem illum suum cultum. Nec configurabuntur isti sæculo, sed transformabūtur per renouationem mentis suæ, ad hoc vt probent quæ sit volūtas Dei, bona illa accepta & perfecta, Rō. 12. 1. 2. De hoc itaq; cultu licebit gloriari, nō autem de illo, quem vos ventris & quęstus caussa præstatis: vestri sanè maiorem quàm dei, rationem habentes.

Rectè sanè apud Aristeam, hospes quidam, Ptolomæo Philadelpho Ægypti Regi, interroganti, quænam esset maxima hominis gloria, respondit: Honorare deum, & quidem non tam magnificis donis victimisq;: sed animi puritate, & religioso veræ obedientię proposito. Hoc enim cultu spiritus ille purissimus & καρδιογνώστης, potissimum delectatur.

II. DE VOCATIONE GENTIVM, τὸ ὅτι.

Efficacis vocationis ad participationē sortis sanctorū in lumine, euidentissimum argumentum est, cultus rationalis per fidē Deo præstitus. Hunc enim nemo præstare potest, nisi qui spiritu Dei ducitur: nemo autem spiritum dei habet, nisi qui illius est, Roman. 8. 9. & 14.

Gentes autem, quibus Euangelium annunciabitur per Apostolos, cultum illum rationalem per fidem deo probabunt.

Hanc Minorem probat Malachias, à Testimonio Iehouæ, Ma-

gnum erit nomen meum in gentibus, ait Iehouah exercituũ. Hoc est, Gentes fideles, amplexæ Euangelium, sanctificabunt nomen dei: inuocabunt nomen Domini: offerent ei sacrificia laudis & σωζόμενα: seipsos denique totos ei consecrabunt & offerent. Quis non præferat hunc cultum, typicis illis sacrificijs Iudæorum?

Gentes igitur vocabuntur per Euangelium, vt sint populus dei, seruiens ipsius gloriæ & laudi.

Sapienter autem hunc locum exposuit Gentiũ Apostolus Paulus, Ephes. 3. 5. Quòd alijs ætatibus nõ innotuit filijs hominum, vt nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius & Prophetis per spiritum. 6. Gentes scilicet esse hæredes, & concorpores, consortesq; promissionum eius in Christo per Euangelium, &c.

III. DE VOCATIONIS GENTIVM CAVSSIS FINALIBVS.

Finales caussæ vocationis istius elucescent, si quis reiectionem Iudaici populi, cum Gentium vocatione coniunctam fuisse perpendet.

1. Iudæos reijci oportuit, vt eorum diminutio esset ἀφορμὴ vocationis Gentium.

2. Gentes vocari oportuit, vt vocationis fideiq́ue earum exemplum, esset occasio restitutionis reliquarum populi Iudaici.

3. In vtroq; aũt dei opere, testatũ fieri oportuit, & per ipsam seueritatem Deum sibi aditum ad misericordiam inuenire: & seueritatem dei nõ minus quàm eiusdem misericordiam, ad dei gloriam facere. Iuxta hęc dicta. Deut. 32. 21. Ipsi zelare fecerũt me in re quæ non est deus, irasci fecerũt me vanitatibus suis: & ego zelare faciã eos in eo qui nõ est populus, in gẽte stulta prouocabo eos ad irã. Roman. 11. 11. 12. Num ergo, inquam ego, ideo impegerunt vt conciderent: Absit, sed per eorum ruinam salus obtigit Gentibus: vt eos ad æmulationem prouocaret. Quòd si eorũ ruina est opulẽtia mundi, & diminutio eorum opulentia Gentium: quantò magis plenitudo eorum?

IIII. Στρεφολογίαι *Eccij & assectarum eius.*

Eccius Enchiridij sui cap. 17. vt ostendat Missæ actionem ceremoniosam à columnis Ecclesiæ institutam esse, & sacrificium esse pro viuorum & mortuorum peccatis offerendum, sic raciocinatur. Malach. 1. Non est mihi voluntas in vobis, nec munus accipiã de manu vestra. A' solis enim ortu vsq; ad occasum, magnum est meum nomen in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini

nomini meo oblatio munda. Prædixit Propheta hic cessationem sacrificiorum legalium, et institutionem sacrificij nouę legis. Non poteris illud dicere solùm fuisse in cruce, qua dicit sacrificari in omni loco: & loquitur tamen de vna oblatione, & non est aliud sacrificium nisi corpus Christi toties in Missa repetitum. Hactenus Eccius.

Respõdeo, Falsò ad sacrificium ἱλαστικὸν Sacrificulorum Papaliũ illud dictum restringi, quod erat referendum ad præconiũ Euangelij de Christo (qui vnica oblatione corporis sui, in ara crucis semel peracta, consecrauit in perpetuum eos qui sanctificantur) & ad omnia omnium fidelium εὐχαριστικὰ sacrificia, doxologias, & preces. Sed κεφαλαιωδῶς ad particularia capita respondeo.

1. Si Missæ actio ceremoniosa à columnis Ecclesiæ est instituta, vt ex Platina Eccius, collegit, cur cæteri Papistæ, Missam à Christo institutam esse, fingunt? Nisi fortè à Christo Domino non rectè aut plenè institutam Missam, à Papis farciendam fuisse, putant.

2. Si etiã oblatio corporis Christi nõ solùm in cruce pacta est, sed etiã quotidie in ara peragit, cur dixit Paulus: Qua volũtate sanctificati sumus, ꝑ oblationẽ corporis Iesu Christi semel (factã) Omnis igitur Sacerdos astat quotidie operans, & easdẽ sæpius offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata: Hic verò vna pro peccatis oblata victima, in perpetuum sedet ad dexteram Dei. Itẽ, Vnica enim oblatione consecrauit in perpetuum eos qui sanctificantur, Hebr. 10. 10. 11. 12. 14.

Tertiò, Si illud in omni loco, idem significat, vt Eccius nugatur, non in cruce solùm: cur non Missam suam sacrificuli in omnibus angulis publicorum & priuatorum ędificiorum, celebrant. Sed, forsan, magistrali seu sorbonica quadã expositione, in omni loco, idẽ significat, quod in omni Templo ab Episcopo aliquo cõsecrato. Sed hanc expositionem libẽter relinquemus ijs, quibus Missa magis cordi est, quàm Euangelium.

Quartò, quis non videat Eccium τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, cum tandem addit: Et nõ est aliud sacrificium nisi corpus Christi in Missa toties repetitum? Quid enim? Annõn tota Ecclesia Christiana, quotidie Deo offert vitulos labiorum confitentium nomini Domini?

Postremò adducant pontificij prius expressum dei testimoniũ,

quo probetur oblationem Corporis Christi, quæ cruenta fuit in ara crucis, incruētam quotidie offerri à sacrificulis, quàm à nobis stipulentur incōsultam credulitatem & opinionem de Missatico sacrificio, pro viuis & mortuis quotidie offerendo.

Lectio. 11. 26. Sept.

VERSVS XII.

Etenim vos profanatis illud, in eo quòd dicitis, Mensam Iehouæ pollutam esse, & prouentus eius contemtibilem esse cibum.

Syllogismi instrumēto more nostro adhibito, sententiam istius versus eruemus.

Qui Mensam Iehouę non verentur pollutam nuncupare, id est, profanam, illi Iehouæ nomen profanant. Fingunt enim Iehouam maiestatis & glorię suæ nō ita magnam habere rationem, & qualicunq; cultu contentum esse posse.

Atqui vos Sacerdotes Iudæorum, & Mensam Domini pollutā, & eius prouentus cōtemtibilem esse cibum, dictitatis: quasi non ita multum referat, quàm studiosè quis sacra defungatur liturgia, aut etiam qualescunque tandem sint victimæ, quæ deo offeruntur, modô offeruntur multæ.

Quare vos dei nomen profanare καὶ ἀτιμάζειν, certum est.

QVORSVM HAEC SPECTANT?

Vt intelligant Iudæi & eorum sacerdotes, in illa sua impietate & iniustitia sibi placentes, & in ea perseuerātes, iusto Dei iudicio sese reijci, Gentes verò assumi. Poterat enim conscientiæ Syllogismus eos αὐτοκατακρίτους, seu suo ipsorum iudicio condemnatos, coarguere.

Συντηρήσεως Maior.

Non mira videri debet reiectio eorum, qui dei sanctum nomen profanant.

CONSCIENTIAE MINOR.

Nos Sacerdotes & Iudæi corde recedentes à deo, labijs autem eum colentes, profanamus nomen dei.

CONCLVSIO.

Quis igitur miretur nos à Deo reijci.

Locus Communis.

Qui sacra liturgia non defunguntur religiosè, & Ecclesiæ Ministerium parui faciunt, sanctum dei nomen polluunt.

Si doctrinæ quæ nostræ ædificationi seruit, dispensatio in Ecclesia,

clesia, decenter & ordinè peragi debet, 1. Cor. 14. 40. multò magis diuinus cultus decẽter & ordinè peragendus fuerit, cũ nõ minor sed multò maior, nobis sit sanctificationis nominis diuini, quàm nostræ ædificationis ratio habenda.

2. Plutarchus in Numæ vita Põpilij scribit, Romanos rem diuinã facientes, per Præconem edicere solitos: HOC AGE: quod dei cultu, non perfunctoriè, sed animo præsente & attento, defungendũ esse, rectè persuasum haberent. Si vel Ethnici homines, ne irridere potius quàm colere sua commenticia numina viderentur, hoc vnum seriò agendum putarunt, quod tum in manibus habebant: quantò magis nos, prælucente fide, spiritu & veritate deum colere decet, cum sciamus deum non irrideri? Gal. 6. 7.

3. Ministerij Ecclesiastici dignitas pẽdet ab instituore deo. Itaq; qui illud vt vile aspernatur, & non quo loco sit apud eius auctorem, quisue eius vsus sit, perpendit: sed hostium eius iniusta præiudicia respicit & moratur: in Dominum iniurius est, quem fingit nihilo digniorem aut præstantiorem esse miseris & vulgo exosis spretisque suis seruulis. Quoties autem audiuimus, querelas voces eorum, quos Ministerij sui tædet: & qui illius administrationem facilè alijs cessuri erant, si quidem id sine rei familiaris & famæ publicæ dispendio, fieri posset? Quis non ex illorum μεμψιμοιρίας colligat, eos non propter gloriam dei & Ecclesiæ ædifiationem: sed ventris caussa, ministros esse κένωσι γε θυμῷ.

Hortor itaq; vos, fratres charissimi, quibus propediem aratro Ministerij Ecclesiastici manus admouendę erunt, vt antipharmacis in tẽpore vos instruatis, & animũ aduersus hæc scandala prudenter præmuniatis: illud persuasum habentes, Ministerium, ceu spartam, cuiq; sedulò ornãdum esse non autem dehonestandum. Id futurum est, siquidem:

1. Dei gloriam & Ecclesię ędificationẽ semper cordi habueritis.
2. Spiritualia dei dona, terrenis semper præposueritis:
3. Prouidentiam dei vobis nunquam & nusquam deesse, persuasum habueritis.
4. Deo placere studueritis, non hominibus: Gal. 1. 10.
5. Didiceritis vti, non abuti, mundo: cuius species præterit, 1. Corinth. 7. 31.
6. Pacem sectati fueritis constantissimè & patientissimè:
7. De lucro animarum, non pecuniarum, gloriari malueritis:

8. Non pendeatis à vulgi ſubuentaneo applauſu:
9. Dei, non hominum iudicio ſtandum, intellexeritis:
10. Intuiti fueritis agones Veteris Nouiq́; Teſtaméti miniſtrorũ:
11. Reſpexeritis Chriſtum doctorem, cuius συνεργοὶ eritis:
12. Miniſterij Eccleſiæ ἀνταξίαν & finem perpenderitis:
13. Didiceritis veſtra infamia, Chriſti gloriam libenter redimere:
14. Non quæ ſunt veſtra, ſed quæ aliorum, ſolicitè quærere.
15. Vos ipſos abnegare:
16. Omnia deniq; per Chriſtum vos corroborátem, præſtare po teritis. Dominus Ieſus Chriſtus vobis ad hæc omnia præſtanda, gratiam & robur Spiritus ſancti largiatur: detque ne vnquam fra cti aduerſis, à ſancto propoſito reſiliatis. Cogitabitis etiam, vt hoc addam, quoſdam verbi Miniſtros ſua culpa in contemtu odioq́; verſari. Quis enim magnifaciat, indoctos contentioſos, vanos, va gabũdos, turpis lucri cupidos, et alijs vitijs infames Hierophãtas?

VERSVS XIII.

Et dicitis, Ecce quantum fatigationis, cum exſufflare poſſetis illud: ait Iehouah exercituum, affertis enim raptum, & claudum, & ægrotum, afferentes munus: an acceptum habebo illud è manu ueſtra? ait Iehouah.

Illuſtrabitur & huius verſus ſentẽtia, ſi obiectioné Sacerdotum initiò propoſuerimus: ac deinde ἀντικατασκευὴν Prophetæ noſtri reſponſionem, ſubiunxerimus.

Dicebant Sacerdotes, minus conſentaneũ eſt, quàm dicere cultum operoſum, pręſtitũ deo à Sacerdotibus, portantibus τὸ βάρος τῆς ἡμέρας καὶ τὸν καύσωνα, id eſt, pondus diei & æſtum: & qui multiplicibus victimis conſtat, eidẽ ingratum & exoſum eſſe. Non enim ille vel immemor eſt officioſi laboris ſeruorũ ſuorum: aut parum candidus æſtimator donorum, ſibi ſæpenumerò oblatorum.

Reſpondet Iehouæ nomine, Propheta noſter, ἀντικατασκευαστικῶς in hunc modum.

Si cultus ille diuinus, de quo tãtoperè gloriamini, multũ negocij eo defungẽtibus faceſſeret: & ſi victimę, quas hactenus obtuliſtis, alicuius pretij fuiſſent: Tum verò nõnihil ſpecioſa videri poſſet veſtra illa iactabunda obiectio & σεμνηγορία.

Atqui neutrũ verè dici poteſt. Nã ſi laborioſam functioné obtenderitis, teſtabit̃ deus vel flatu, hoc eſt, citra puluerẽ & ſudoré, nullo nego-

lo negocio,ista de quib.gloriamini,potuisse peragi. Porrò, si victimarũ pretiũ adduxerit, coarguet vos & cõuincet,vt q rapto partas, cæcas,mãcas pecudes,cõtra legis ipsius pscriptũ,obtuleritis.

Ex his colligo idem quod iam antea,vos vnà cum vestro cultu deo esse abominabiles.

Locus Communis.

Abominabiles deo sunt,quibus Ministerium & cultus ipsi debitus,laboriosius & sumtuosius uidetur.

Primùm enim violant summum legis diuinę præceptũ: Diliges Dominum deum tuum ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus tuis. Neq; enim maioris faciunt deum,quàm semetipsos quibus molestũ est ei debitũ cultum præstare: cum sua ipsorũ causa, nihil non & deo,& sibijpsis, & proximis, summa fide & studio præstandum esse opinentur.

Secundò,non habent diuinæ *εὐταξίας*, humano generi optimo consilio præscriptæ,rationẽ vllam. Eam enim si,vt par erat, haberẽt,nõ de muneris sibi delegati difficultatibus et periculis cõquererẽtur:sed illud alacri prõtoq; studio sibi ornãdum esse,statuerẽt, nec vlla alia è re maiorem perciperent voluptatem,quàm cum in sua statione officio suo nauiter strenueq; fungũtur:cum dei & Ecclesiæ caussa multiplices ęrumnas,ingratitudinem mundi & alia perferre necesse habent. Tum enim reipsa testantur, se fideles & constantes dei seruos esse.

Tertiò,maioris faciunt terrena bona, quàm dei honorem:idq; testatum faciũt,cum ei interiorẽ cultum,quem maximè requirit, non deferũt: exteriore autem sic defunguntur, vt quam minimò eundem sibi velint cõstare. Ideo è terrenis bonis,parca manu, ea quæ maximè neglecta & tenuia sunt, deo offerunt: sibi interim optima quæq; seruantes.

Quis itaq; miretur,eiusmodi monstra hominum,deo esse abominationi: cum eum admodum ei illudant?

Det Dominus Iesus ne vnq̃ nobis molestũ & laboriosũ videat, docendi in Ecclesia aut schola munere defungi:cũ ita,vt Philippũ Melanchthonẽ,eximiũ illum dei seruũ,& Mũdi senescẽtis decus, dicere solitũ:sanctissimũ et deo gratissimũ opus sit,piè docẽdo Euãgeliũ Christi,plãtare & rigare dei aruũ. Nõ enim ignoramus qd cũctatori & nequam seruo,talentum occultanti,olim dicturus sit Dominus,Matt.25.26.27.28.

VERSVS XIIII.

Immò maledictus est machinator, qui cum sit in grege ipsius masculus, vouet & sacrificat corruptum Domino: nam Rex magnus sum, ait Iehouah exercituũ: & nomen meum est reuerendum in Gentibus.

Ne culpa carere immolantes Iudæi, & ea omnis penes auaros καὶ πλεονεκτικοὺς Sacerdotes residere, uideretur: hoc uersu vtrosq; reos peragit Propheta, illos, quòd non adducerent, iuxta legis præscriptum pecudes sanas, integras & omni carentes labe: hos quòd mancis locum darent.

Maledicti sunt, qui Deo Regi magno illudunt. Vos verò mutuas operas tradentes, Regi magno illuditis. Etenim mancas victimas adducunt Iudæi: Sacerdotes autem eas boni consulunt: nec quisquam eorum gloriæ & laudis Domini, eam quam oportuit rationem habet. Estis igitur exsecrabiles Deo.

Nemo autem non videt, repeti hoc loco tacitam ἀντίθεσιν Dei & Ducis, ad amplificandam rei indignitatem. Quæ enim dona Duci suo Iudæus offerre non audebat, ijs Deum contentum esse volebat: quasi huius multo minor, quàm illius habéda esset ratio.

Cæterùm quia de hac hypothesi ea dixi hactenus, quæ mihi Deus pro sua misericordia aperire dignatus est, ab ea ad aliam hypothesin, nostris vsibus accommodatam, accedam: Christũ precor vt agat ὁδηγόν.

Locus Communis.

Plurimum in eo mali est, si quis sancto, verbi & Sacramentorũ ministerio, perfunctoriè defungatur.

Omnium temporum experientia testatur, eos, quidem qui sacro ministerio in Ecclesia mala fide defunguntur, nunquam non questos de eius muneris difficultatibus & periculis, de suis laboribus, de ingratitudine hominum erga se, & de sexcetis alijs, quæ hominem ab eo genere vocationis absterrere posse videantur: eos verò, qui bona fide Ecclesiæ seruiunt, summa cum alacritate propter Dei gloriam & hominum piorum ædificationem, officium fecisse diligenter: ac (vt alibi præclarè dixit Ioan. Chrysostomus: Hominibus diligentibus semper aliquid superest) nõ de
4 nimia sua diligentia, deq; exantlatis laboribus questos esse: sed suã infirmitatem & indignitatem agnouisse: & cum Paulo Apostolo

professos

professos esse ingenuè, se gratia Dei esse quicquid essent, & hanc in ipsis non fuisse inanem aut ociosam.

Enimuerò qui parum præmeditati ad docendum in Ecclesia accedunt, impudentes pariter & iniusti sunt. Impudentes quidē, quòd cum aliàs coram Magistratu, de rebus terrenis diu multumq; premeditato dicendum esse, persuasum habeant: coram Deo ipso, & beatis Angelis electisq; hominibus, ea quæ in buccam venire possunt, effutire sibi licere, putant: Iniusti verò, quòd suis auditoribus debitum doctrinæ cœlestis cibum, malignè præbent, & famelicos demittunt quos satiare oportuit.

Annon autem Cynica & modis omnibus flagitiosa est hæc impudentia, baptizare paruulum, inuocato Patris, Filij & Spiritus sancti nomine: & interim omnia præcipitare, vt quamprimum possis interesse vel symposio, vel ludo: vel etiam res domesticas rusticasue administrare, è quib. lucri alicuius bon9 aspirat odor?

Si maledictus est, qui in re militari non bona fide & strenuè opus Domini facit: vt dicitur Ier. 48.10. Maledictus qui facit opus Iehouæ fraudulenter, & maledictus qui prohibet gladium suum à Sanguine: quis dubitet sacra illa militia in Ecclesia, negligenter & fraudulenter defungentes, bis esse maledictos?

Cur autem Paulus Episcopum vult esse aptum ad docendum, vigilantem, sobrium, temperantem, nisi vt doceat summa illi, in omnibus officij sui partibus obeundis, fide, diligentia, assiduitate & attentione opus esse, ne quid vnquam per imprudentiam & incuriam secus, quàm oportuit, dicat faciatue?

Iurè Bernardus eos reprehendit, qui sunt nimium prompti ad cathedram, non autē ad curam: hoc est, qui Ministerij gradus honorum incrementa esse persuasi, de ijs obtinendis, non de officio fideliter faciendo, laborant: & mercenariam operam Deo vtcuq; præstant, ne id quidem facturi, si quidem per homines liceat, exotericos honorum functionumq; ciuilium gradus conscendere.

Est autem eius rei non obscurum argumētum, cum velut mercatoria permutatione facta, ab una Ecclesia ad aliam cupidè transeunt, alijs quidem cedentes locum, alijs autem succedentes: req; ipsa testantur, se maioris facere opimos reditus, quàm Ecclesiam, cui eos seruire oportebat. Dominus det ne unquam horum similes simus: néue unquam stationem diuinitùs nobis demandatā, desultoria usi leuitate, deseramus: sed accinctis lumbis, uigilātes,

orantes,vera docentes,pieq; viuentes, Deo in eo loco, in quem ille nos collocauit, tantisper seruiamus, donec ipse velut manu sua præhensos aliò traducat.

Lectio 12. 18. Sept.

CAPITIS II. VERSUS I.

Nunc itaq; ad vos (spectat) præceptum istud, ò Sacerdotes.

Propheta noster eadem opera,& attentionem iure flagitat, & vanæ sacerdotum persuasioni occurrit. Ea autem hæc erat: Nihil ad nos,quod ignobili vulgo dicitur.Vulgi errores & negligentia circa rem diuinam, taxantur: non autem nobis debita laboriosæ & officiosæ circa Dei cultum,industriæ,laus derogatur.

Respōdet Malachias,Immò verò, vobis præcipuè, ò Sacerdotes,ista mandatu Iehouæ exercituū dicunt: uobis enim hæc meditata esse oportebat:sed quia ignota sunt, inculcari uobis debēt.

Quis enim dubitet istud Dei præceptum, ad eos potissimum pertinere, de quibus singulis & omnibus id dici potest, quod Paulus alibi de Iudæis & eorum Hierophantis,loquens, grauissimè dixit:Qui igitur doces alium,teipsum non doces? qui prædicas non furandum,furaris?qui dicis non mœchādum, mœcharis?qui abominaris idola, sacrilegium admittis? qui de lege gloriaris,per legis transgressionem Deum dedecoras? Nam Dei nomen propter uos blasphematur inter Gentes: sicut scriptum est, Rom.2.21.22.23,24.

Vos autem, ò Antistites sacrorum eiusmodi homines estis: vt luce meridiana clarius liquet, tum ex ijs quæ hactenus nobis dicta demonstrataq; sunt:tum ex ijs quæ subiungentur.

Itaq; vobis ista dici,nihil dubium esse potest. Extremæ autem nequitiæ foret,uobis præcipuè dicta à Iehouah,pro alienis & nihil ad uos attinentibus habere: atque hoc malagmate,cæco læsæ conscientiæ vulneri,mederi uelle,hoc est,παιδὸς παικῷ διχῶς σύνειν, secundum uetus Prouerbium.

Locus Communis.

Ea,quæ de pietatis fideiq; officijs, olim Dei mandatu, prodita sunt,nobis quoq; dicta esse,statuendum est.

Nam quę antè scripta sunt,ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus,Rom.15.4.

Item,Hæc autem omnia typicè eueniebāt eis: scripta uerò sunt

ad

ad nostri admonitionem, in quos fines seculorum occurrerunt, 1. Corinth. 10. 11.

Ex his duobus dictis, colligo, dicta veteris Testamenti, de officio Seruorum Dei ad nos quoq;, auctoritate diuina, ad illud præstandum commouendos, pertinere.

Sed addo & aliam rationẽ, Cùm Deus nos omnibus ac, vt ab ijsce malorum in ipsius cõtumeliam redundantiũ formis, nos quoq;, non minus quàm olim Patres sub lege, abhorrere & abstinere: sic eodem pietatis cultu, Spiritu nimirum & veritate à nobis coli, vult. Ideò, quæcunq; vitio illis dedit olim, nobis quoq; eadem patrantibus vitio dat: & quæcunque vnquam laudauit & præcepit, eadem illa à nobis flagitat. Ex his liquet, veteris Testamenti hominibus dicta, nobis quoque dicta. Loquor de pietatis cultu, & de moralibus operibus internis & externis, quæ omnium sunt temporum & ætatum: non de ceremonialibus quibusdam sanctionibus, quæ velut rudimenta pædagogica, præscripta fuerũt ad tempus certæ genti, & infantiæ Ecclesiæ.

Illud autem coronidis vice addam, iusto nimirum Dei iudicio fieri, vt ij, qui Dei admonitiones, tanquam alienas aspernantur, Sathanæ & mancipiorum eius horribilem fremitum & vlulatum audire cogantur. Iudæi placidam Christi vocem audire noluerũt: itaq; Spiritum mendacij per Rabbinos sua venena euomentem, audiant necesse est.

VERSVS II.

Nisi auscultaueritis, & nisi indideritis animo, tribuendo gloriam nomini meo, ait Iehouah exercituum vtiq; immittam in vos maledictionẽ, & maledicam benedictionibus vestris: quinetiam maledixi earum cuiq;, quia minimè inditis animo.

Comminatione grauissima stupidos, & uoluptatum illecebris ebrios Sacerdotes, expergefacit, denuncians maledictionem diuinam. Sententia autem huc redit.

Nulla Iehouæ exercituum comminatio, ulli hominum ordini parui ducenda est. Neq; enim ea fulgur est è pelui, aut etiam fulmen brutum: sed feria iræ Dei & pœnarum denunciatio.

Sed Iehouah ille exercituum, uobis Sacerdotibus maledictionẽ, nisi auscultetis & alta mẽte illius oracula reponatis, denũciat.

Hanc minorẽ probat, Primùm à Dei ipsius Testimonio, quod

Propheta ideò toties allegat, ne quid ipse commentus videatur: deinde ab ipsorum, Sacerdotum inquam, experiētia: Quinetiam maledixi earum (benedictionum inquam) cuiq;, quia minimè inditis animo.

Quare non est vobis contemnenda hæc grauissima cōminatio. Maledicere benedictionibus deus dicitur, cum quæ alioqui modis omnibus salutaria sunt, noxia ἀλλ' ἄλλο facit. Psalmo 69. 23. Sit mensa eorum coram eis laqueus: & quod ad pacem in offendiculum. Obscurentur oculi eorum ne videant, & lumbos eorum semper nutare fac. Effunde super eos iram tuam, &c.

QVOT MODIS MALEDICIT DEVS QVORVNDAM *Ecclesiæ ministrorum benedictionibus.*

Multis sanè modis: sed nos quosdam recensebimus.

1. Cùm & sibi & suis nimium indulgentibus, & de filiorū successione in sacri Ministerij honore anxijs, Samuelē aliquē excitat, qui omnium illorum luminibus officit: ac ipsis magnopere dolentibus, inuidiaq; marcescentibus, efflorescit, 1. Sam. 2. 32.

2. Cùm effundit super eos contemptum, & errare facit eos in suis consilijs, ebriorum instar, Psal. 107. 40.

3. Cùm, spiritu vertiginis circūactos, maledicere patitur ijs, quibus erat benè precandum: benedicere autem, quibus diuina maledictio erat denuncianda. Vt hac nostra ętate quidā δημηγόροι, vsq; adeò zelo cū ignorantia coniuncto ardent & impelluntur, vt debachētur ex alto, in conseruos, alienos à carnali de mysterijs opinione. Interea aulicam licentiam, et erga subiectos inhumanitatē: ebrietatem quæ grassatur vbiq;, adulteria, blasphemias, & alia scelera vel non attingūt, vel leuiter sanè molliq;, quod dici solet, brachio attingunt.

4. Cùm sua ἰχυρογνωμοσύνῃ sibijpsis proficiendi occasiones, prę scindere, patitur. Annón autem euidens maledictionis argumentum est, sic tradi in mentem omnis iudicij expertem, vt errare malis, quàm in viam redire, & posterioribus curis, quæ meliores esse solent, locum dare?

5. Cùm sibi in sua ignorantia & errore, in zelo inconsulto, in temerarijs præiudicijs, mirificè placent & plaudunt.

6. Cùm plebis imperitæ præiudicium, sapientum iudicijs anteponunt.

7. Cùm hæreses fuco pictas tuentur: & veritati interim aduersantur

ſantur,metuq; Procerum,quos circumuenerunt, inq; ſuæ opinionis naſſam illexerunt, etiam conuicti errorum, tamen deo non dant gloriam,nec veritati cedunt, vt noſtra ætate fecit Hofmeiſterus.

VERSVS III.

Ecce ego corrupturus ſum ſementem, & ſparſurus ſimum in facies veſtras,ſimum feſtorū(ſacrificiorum) veſtrorum: adeò vt abripiat vos ad ſe.

Interminatione pœnæ talionis, id quod antea γενικῶς dixerat, confirmat. Sementem vocat,carnalem illam de ſacrificijs, & de meritis quibus deus ipſis deuinctus eſſet ad remunerationem laſciſsimam opinionem. Fimum,victimas mancas,quas non licuit deo offere,μεταλληπτικῶς nuncūpat.

Probat autem Minorem præcedentis Syllogiſmi,hoc pacto:

Enimuerò maledictionem haud dubiè is denunciat, qui iuxta talionis legem,ijs quos ipſi nullius pretij victimas offerre non puduit,certò denunciat ſe ipſos redditurum, modis omnibus abominabiles & contemtibiles.

Atqui deus id vobis comminatur. Adeò enim ſordidos & deſpectos reddet, ac ſi mancarum victimarum ipſi oblatarum ſordibus & excrementis conſpurcati & obliti,in luto profundo propè ſepulti iaceretis.

Interminatur itaq; vobis maledictionem: vobis, niſi pœnitentiam agatis,planè ineuitabilem.

Ex his omnibus liquet,attentione & ſtudio obediendi deo ſacerdotibus iſtis,ſummè opus eſſe.

Sunt, qui corruptionē ſementis malint interpretari,de ſterilitate terrę & de fame,quę inualeſcit deo maledicente ſementi factę. Deut.28.38. Semen multum educes ad agrum,& parum colliges: quia abſumet illud locuſta:Ex ea autem maledictione, ortum ducebat & decimarum,quę ad ſacerdotes alēdos colligendæ erant, imminutio & penuria.

Quoties autem vidimus, eos Eccleſiæ Miniſtros, qui, quòd in Chriſti militia ſeculi lucra captarent, iuſto dei iudicio,aliàs quidē in media prouētū annuorū copia, inopes & exhauſtos:aliàs verò adeò ad rē attentos cumini ſectores, vt licet multa præſtò eſſent, ijs tamen vti non auderent, quòd accumulanda potius, quàm ad

vsum necessarium transferenda, putarent? Interea fideles Dei seruos paruo contentos, & fidelem Ecclesiæ operam probantes, vidimus, Deo ipsis benedicente, felices præ illis auaris, fuisse: & reipsa id expertos quod dixit Dauid: Modicum quod habet iustus, præstat magnis opibus impiorum: & illud Pauli: Magnus quæstus est pietas, cum animo sua sorte contento.

Quod autem de fimo solennitatum, in facies Sacerdotum spargendo, Malachias denunciauit, id de cultus literæ & iustitiæ carnalis ἐνυβόλοις, quorum caussa Hierophantæ illi valde gloriabâtur sibiq; placebant, nonnulli interpretantur. Vt sit sententia, Quæ res nō solùm honori vobis vertēda sed etiā meritis singularis (cuius gratia deus ad vos amandos & remunerandos, obligatus sit) loco habenda videtur: ea summæ vobis ignominiæ erit, & vobis coarguendis & conuincendis seruiet. Non minus enim solennitates & calendæ vestræ Deo exosæ sunt (propterea quòd in ijs literæ, non autem spiritus cultus eidem præstatur) quàm stercus victimarum vestrarum fœtore suo, vobis molestum esset solet.

Lectio. 13. 29. Sept. 1582.

VERSVS IIII.

Nostis enim me misisse ad vos præceptum istud: vt sit fœdus meum cum (Tribu) Leui: ait Iehouah exercituum.

Malachias efficacissimo argumento, à contestatione conscientiæ ducto, Sacerdotes, vocationis suæ parum memores, perstringit, Mirificè autem sententia illustrabitur dicto παράλληλῳ, quod extat Num. 16. 8. 9. 10. Et dixit Moseh ad Corah, Audite quæso filij Leui. An parum hoc vobis est, quòd separauerit Deus Israelis vos de cōgregatione Israel, vt accedere faceret vos sibi, vt ministraretis in ministerio tabernaculi Iehouæ, & vt staretis coram congregatione: vt ministraretis eis: Et accedere fecit te, & omnes fratres tuos filios Leui tecum: nisi quæratis etiam sacerdotium?

Sic autem argumentatur Malachias: Enimuerò, quibuscunque probè constat, Ministerium sibi suisque diuinitus esse delegatum, ij bona fide eodem se defungi debere, non ignorant. Qui enim ignorare possent, sibi creditam esse dispensationem, qua volentes, non autem inuitos, defungi oporteat? 1. Cor. 9. 17.

Vos autē Sacerdotes optimè scitis, quomodo ad diuini cultus præstationem, à deo sanctificata sit tribus vestra. Quoties enim de ea vocatione & segregatione gloriamini?

Itaq; de diſpenſatione fideli veſtri muneris, non autẽ de prǽrogatiua ſolum & honore Tribus veſtræ, vobis & cogitandũ erat & laborãdũ. Atqui vos de priuilegijs ſacerdotũ, de iure exigẽdi decimas, deniq; de ijs quæ ſunt veſtra, non autem quæ aliorũ ædificationi ſeruiunt, ſolicitè cogitatis: eoq; nomine grauiter peccatis.

Locus Communis, de vocationis recta conſideratione.

I. APHORISMVS.

Ea demum vocatio cenſeri debet legitima, quæ eſt ab auctore Deo.

Ratio. Nam eius ſolius eſt, ita vt ipſi viſum eſt hominum opera vti, certoſq; officiorum gradus aſsignare, cum ſua ſolius cauſſa, ab eodem ſint conditi.

2. Vocat autem quando & quomodo ipſe vult.

Ratio, Quia eſt ἀνυπεύθυνος: nemini quicquam debet: nunquam ab optimo fine in agendo aberrat.

Itaq; ſiue ſerò, ſiue citò: ſiue mediatè, ſiue immediatè quẽpiam vocet, ſtandum eſt ipſius beneplacito.

3. Nulla autẽ diuinę vocationis ſpecies nobis diſplicere debet.

Sicut enim mẽbra in corpore humano varia quidẽ ſunt, omnia tũ neceſſaria & vtilia: ſic omnes diuinæ εὐταξίας & vocationis gradus, nobis probari debent.

Ne pudeat Theologicæ ſtudioſos ſanctæ ſuæ vocationis, cum intelligant non eſſe cur illã propter pericula (quę veritatis profeſſionem comitari ſolẽt) egeſtatem, ingratitudinem mundi, iniqua præiudicia, abijciant.

4. Vocatio diuina pacto conſtat.

Vt ergo Deus ſuis ſeruis ſe ad futurum ſpondet: ſic iſti bona fide officium ſeſe facturos ſanctè recipiunt.

5. Qui diuortium honoris & diſpenſationis comminiſcuntur, ſibijpſis non deo & Eccleſiæ ſeruiunt.

Etenim non ob id vocati ſunt, vt ipſi magni clarique ſint & habeantur: ſed vt ſint fidi diſpenſatores myſteriorum Dei, 1. Cor. 4. 1.

6. Sit vitæ & actionum noſtrarum Cynoſura vocatio.

Ita enim fiet ne quid πολυπραγμονικῶς faciamus, extra ſepta vocationis egreſsi: néue per inertiam & ſocordiam ea prętermittamus quæ ſtudioſè præſtitiſſe oportuit.

Theologiæ ſtudioſi intra ſuos cancellos ſeſe contineant, ſacra

Biblia dies noctesq; legant relegant: adiungant pias preces, & exercitia fidei, patientię, summissionis, & toti in eo sint vt quã nacti sunt spartam exornẽt, vt dei donum quod acceperunt ἀναζωπυρεῖν, suscitare pergant. Cætera deo committant.

7. Qui vocationis suæ sunt immemores, violant pactum cũ deo initum, & sibijpsis accersunt grauissimas pœnas.

Id videre est in sacerdotum Iudaicorum, quos reos peragit Iehouah exercituum, exemplo.

Quidam Theologus nostræ ætatis, cum aliquandiu alterum pedem in templo & schola, alterũ in Aula sui Principis habuisset, ante agonem hoc distichon scripsit:

Disce meo exemplo mandato munere fungi,
Et fuge, ceu pestem, τὴν πολυπραγμοσύνην.

Vtinam, vt erat lugendus, veri alioquin eximij lapsus: sic eius exemplum, ei nõ dissimiles Diotrephes commoueat, vt ne thure aulico decepti, pergant πολυπραγμονεῖν & conseruos cędere. Sed dabit deus, quibus ipse volet, vt alienis docti malis, hac in parte nõ peccent: cæteros pœnis quos sunt præmeriti afficiet. Ipsi gloria.

Lectio 14. 8. Octobr.

VERSVS V.

Fœdus meum fuisse cum illa vitæ & pacis, & dedisse eas ipsi (propter) reuerentiam qua reueritus est me: et propter nomen meum contritam fuisse.

Existimo Dominum, & in hoc versu, & in sequentibus duobus versibus, suæ erga tribũ Leui beneficentiæ documẽta, eo percensere consilio, vt sacerdotũ, qui officio suo non defungebantur ea, qua oportebat fide, diligentia & vigilãtia, impietatem redarguat & tergiuersationem omnem præscindat.

Cęterùm hic versus, pacti, quod deus cum Leui est, hoc est, cum sacerdotibus & Leuiticis, ad ministeriũ Ecclesiasticũ vocatis, pepigerat, caussas principes, complectitur, de quibus ordine breuiterq; nobis erit agendum.

1. Efficiens principalis, est deus, vt ex præcedẽti & ex hoc versu liquet. Ac notum est pijs omnibus illud Pauli dictum: Neq; sibiipsi quisquam sumit hunc honorem, sed qui vocatur à deo, sicut & Aaron, Heb. 5. 4.

2. Efficiens famulans, fuit Tribus Leui, & in ea Aaron & eius posteritas, Exod. 28. 1. Tu autem accerse ad te Aaronem fratrem tuum,

tuum, & filios eius secum è medio filiorum Israel: vt sacerdotio fungantur mihi, Aaron, Nadab & Abihu, Eleazar & Ithamar filios Aaron.

3. Forma fuit, pactio reciproca, inter deū & sacerdotes, sic vt deus quidem pacis & vitæ dona sacerdotibus larga manu subministraret: Sacerdotes autem, summa fide ad dei gloriā & populi Iudaici instaurationem & ædificationem, suo munere perfungerentur.

Pacis & vitę nomine, benedictionem spiritualem & corporalē, intelligo. Ea enim, cum è re est tum glorię suę, tum seruorum suorum, deus istos prosequitur.

4. προσκαρτερητικὴ fuit Aaronis, Eleazari, Phinees & aliorum piorū sacerdotū reuerentia erga deum, & contritio propter nomen dei, id est, ingens dolor ob admissa scelera, quibus cōtumelia deus afficitur, & heroica νέμεσις, seu indignatio aduersus impietatē & iniustitiam hominū, qualis fuit in Phinees, occidente Zamri & Cosbi in ipso scelere Num. 25. Psal. 106. 29. Israelitę irritauerunt deū operibus suis, & creuit in eis plaga 30. Et stetit Pinhas, & dijudicauit, & cohibita est plaga. 31. Et reputatum est ei ad iusticiam in generatione & generationem vsq; in seculum.

Loquitur autem de multis vt de vno, vt ostenderet eodem spiritu ductos, liturgiam suam obijsse, vt deo debitum præstarent cultum.

Contrita fuisse propter nomen Iehouæ Tribus Leui dicitur, non eo solum nomine, quod operosa & difficilis esset Leuitici sacerdotij dispensatio: sed etiam, quòd pijs Sacerdotibus, multorū hostile odium ingratitudo, & multæ magnæ iniuriæ & ærumnę ferendæ essent.

VERSVS VI.

Cùm lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas nō est inuenta Lectio. 15.
in labijs eius, in pace & in æquitate ambulauisse mecum, 10. Octob.
& multos auertisse ab iniquitate.

In hoc elogio Aaronis, Eleazari, Phinees & aliorum, qui ordinis generisq; Sacerdotalis lumina & ornamenta fuerunt, primū, doctrinam eorum: deinde, vitam & mores, postremo, fructum ministerij eorum, valdè celebrat.

1. Doctrinā eorum verā sanamq; fuisse ostēdit, primùm per κατάφασιν, legem veritatis vocat: deinde, per ἀπόφασιν, negat in eorum

labijs iniquitatem inuentam. Hæc nimirum felicitas eſt eorum, de quibus dicitur: Et poſui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cœlos, & fundes terrã, & ad Sion (dicas) Populus meus es tu, Iſa.51.16.

Oris autem & labiorum vocibus innuit, ſacerdotes illos fuiſſe διδακτικοὺς, fidoſq; diſpenſatores oraculorum dei. Hoc enim præcipuum erat ſacerdotum munus, Legem diuinam ſincerè & dextrè profiteri.

2. Vitam autem eorundem inculpatam & tranquillam fuiſſe docet, cum addit: In pace & in æquitate cum Domino, cui ſeruiebãt, ambulauiſſe. Etſi autem non rarò magna & triſtia certamina ipſis quoq; adeunda fuerunt: quod tamen deum ἀγωνοθέτην haberent, fide omnes agonum ſuorum paraxyſmos, ſuperauerunt, & tranquillis conſcientijs placidos euetus expectauerũt & obtinuerũt.

3. De fructu autem ſacerdotij ipſorum, dicitur in poſtremo lemmate. Auerterũt multos ab iniquitate. Quid ſibi hæc oratio uelit, ex Angeli, ad Zachariam patrẽ, de Ioanne Baptiſta eius filio, verbis liquet: Multos filiorum Iſrael conuertet ad Dominum Deum ipſorum, Luc.1.16.

Nos iam per ἀνάβασιν ad Theſin accedemus, & Alphonſus aliquot, τὴν σοφίην ἐς τὴν τέχνην μετάγειν (ut Hippocratis verbis vtamur) ſtudebimus, ut vtilitas huius loci conſpiciatur.

1. Cum Deus verbi ſui Miniſtros, cum ſcientia legis, vitam moresq; profeſsioni reſpondentes, coniungere velit, non eſt horum duorum diuortium introducendum in Eccleſiam Chriſtianam.

2. Doctrinam, veritas & ἀδιαφθορία: docendi munus, felicitas Methodi & dexteritas, commendant.

3. Docendi partes cognitione myſteriorum dei non ſunt ſeparandę. iuxta illud Neq; accendunt lucernam, & ponunt eam ſub ter modium: ſed in candelabrum, & ſplendet omnibus qui ſunt in domo. Matt.5.15.

4. Non voce tantum, ſed etiam vitæ laudabili exemplo, docendum eſt Eccleſiæ Miniſtris. Rectè Paulus, quem nos imitari hac in parte conuenit, Sed, ait, contundo corpus meum, & in ſeruitutem redigo: ne quo modo, quum alijs prædicârim, ipſe reprobus fiam, 1. Cor.9.27.

5. Scopus ſacri Miniſterij eſt, auertere homines ab iniquitate, & conuertere ad ſummum bonũ, hoc eſt, ad deum.

VER-

VERSVS VII.

Cùm labia Sacerdotis obseruarent scientiam, et Lex requireretur ex ore ipsius: nam Angelus Iehouæ exercituum est.

Docendi caussa, ab hypothesi de sacerdotibus Leuiticis, ad Thesim, de Ministris Ecclesiæ, per ἀνάβασιν, digrediemur.

I. OFFICIVM MINISTRORVM SEV DOCVMENTVM.

1. Obseruare scientiam: hoc est, egregiam legis, seu doctrinæ cœlestis, quæ decalogum & promissionem gratiæ complectitur, cognitionem sibi parare. Discendum enim prius est, quàm docendum: vt prudenter & scitè dixit ad Nepotianum, nisi fallor, beatus Hieronymus.

2. Labijs obseruare scientiam est, sinceram doctrinam legis & Euangelij, fideliter profiteri. Nullum autem præstantius opus esse quàm docere & discere Verbum dei Philippus Melachthon verè dicere solebat.

II. OFFICIVM DISCENTIVM.

Requirere legem ex ore docentiũ. Legẽ voce ostendit Propheta, sedentes in Ecclesia, seu Auditores, doctrinam cœlestẽ flagitare, & ea cõtentos esse debere: nec vllum humanũ cõmentũ admittere debere. Vult enim deus eos, prophetiam quidẽ non contẽnere, nec exstinguere spiritũ, omnia tamen probare, seu examinare, & quæ bona sunt tenere, 1. Thes. 5. 19. 20. 21. Vult nos conspectos esse & cauerẽ à fermento Pharisæorum: Matth. 16. 12. nec cuiuis spiritui credere: sed probare Spiritus num sint ex deo, 1. Ioan. 4. 1.

III. ELOGIVM DOCENTIVM.

Docentes in Ecclesia iuxta fidei analogiam, nuncupantur Iehouę, exercituum Angeli, id est, legati & internuncij. Eius enim, qui est hodie, heri, idem & in secula nomine, Hebr. 13. 8. legatione funguntur, velut deo per eos obsecrante, & orant Christi nomine omnes, τὸ reconciliemini deo, 2. Cor. 5. 20.

Vt autem legati qui mandatis Principis sui aliquid addũt detrahuntúe, aut qui secus quàm in mandatis acceperunt, agunt δίκην τῆς παραπρεσβείας, iudicium, pœnamque malæ obitæ legationis subire coguntur: sic ijs, qui verbum dei cauponantes & adulerantes, ei pro sua libidine aliquid addunt detrahuntúe, & metas sibi præfixas transiliunt, ad dei tribunal malæ obitæ legationis δίκην certò subeunda erit.

Det nobis Dominus Iesus vt doctrina ab ipso vno nobis tradita contenti, Spiritus sancti magisterio magis magisq; in eius cognitione proficiamus, simusq; non solùm auditores verbi, sed etiam factores, Amen.

VERSVS VIII.

Lectio.16. 11. Octob. *At vos recessistis ab illa via, fecistis vt impingerent multi in Legem, corrupistis fœdus Leuiticum, ait Iehouah exercituũ.*

Grauissimè Sacerdotes reprehendit Dominus, quòd à maiorũ pietate & sedulitate in officio, degenerantes: & beneficiorum & ornamentorum Sacerdotum familię diuinitus collatorum, suiq; officij planè immemores, fœdus Leuiticum, magno cum Iudaici populi scandalo & malo corrupissent.

Duo autem hîc obseruabimus, Primùm quidem Accusationis caput: Deinde, Argumentum, quo illud confirmatur.

Libet autem Syllogismi complexu, vtramq; partem perstringere, vt sententia manifesta sit.

Qui fœdus Leuitici sacerdotij violauerunt, non habent cur vel Deum illius auctorem, vel Ecclesiam sibi deuinctum esse putent.

Quale verò illud pactum fuerit, liquet ex istis verbis Mosis: Ad Leui verò dixit: Perfectiones tuæ & doctrinæ tuæ fuerunt viro misericordi tuo, quem tamen tentasti in Massa: & contendere eũ fecisti ad Aquas Meriba. Qui dicit patri suo & matri suæ, non vidi eum: & fratres suos non cognouit: nam custodierunt eloquiũ tuum, & pactum tuum seruauerunt. Docebunt iudicia tua, ipsum Iacob: & iudicia tua Israelem: ponent suffitũ in nares tuas, & holocaustum super altare tuum. Benedic Iehouah substantiæ eius, & in opere manuum eius complaceas tibi: transfige lumbos inimicorum eius, & odio habentium eũ, ne resurgant, Deut. 33. 8. 9. 10. 11.

Vos verò, ô Sacerdotes pactum illud violastis, recedentes à via illa diuinitus præmonstrata: nec solùm ipsi errastis, sed etiam multos alios in legem vt impingerent, fecistis.

Hanc Minorem probat Malachias, Iehouæ exercituũ testimonio, cui contradici non poterat.

Inde concludit Propheta, non esse cur glorientur Sacerdotes de Dei erga se gratia, de muneris quo defungerentur dignitate & vsu: sed potius esse cur sibiipsis plurimum displiceant, seipsos accusent, & Deo gloriã dantes, summittãt sę sub eius poteti manu.

APHORISMI, VSUM HUIUS LOCI MONSTRANTES.

1. Qui ministerij Ecclesiæ pactum violant, vel doctrina, vel liturgia, vel vita moribusq́;, vel denique his omnibus, Ecclesiam ipsam lædunt.

2. Doctrina obsunt, cum vel veram abijciunt, falsamq́; profitentur: vel cum ex vera & falsa ἑτεροδιδασκαλίας μίγμα faciunt, & impudenter profitentur.

3. Liturgia lædunt, cũ ex Sacramẽtis idola, ex ceremonijs iustificationis principia, faciunt: & à pietate ad corporales exercitationes, per ὑπαλλαγὴν perniciosam, homines auocant.

4. Vitæ profana obsunt, cum morum suorum turpitudine deteriores efficiunt eos, quos ad meliorem frugem reuocare debebant.

5. Nihil autem horum facerent, nisi persuasum haberent, pietatem esse quæstum: & ministerium verbi esse munus quo dignitati splendoriq́; hominum consulitur. Ac vt maximè verbis fortiter vtrumque negent, vita tamen & moribus vtrumque impudenter confirmant.

6. Quòd si maximè optimorum Patrum seu filios, seu successores sese esse glorientur, seipsos tamen degeneres apostatæ his rationibus traducunt, vt qui non solùm vetus Prouerbium: Heroum filij noxæ: sed etiam illud vetus: Non qui tenent sanctorum loca, sed qui doctrinam eorum vitamq́; inculpatam retinent & exprimunt, successores eorum haberi debent: ad ipsos redarguendos facere, reipsa experiantur.

VERSUS IX.

Ideoq́; etiam ego reddidi vos contemtos & abiectos toti populo, pro vt minimè vos obseruatis vias meas, sed attollitis faciem contra legem.

Hic de pœna loquitur, videlicet de extremo contemtu Sacerdotum.

Iustum est contemtores legis diuinæ, iniurios & contumeliosos in Deum ipsum, nullo in pretio esse apud suos homines.

Vos autem, Sacerdotes, attollitis faciem vestram contra legem, & minimè obseruatis vias meas. Hanc Minorem sic extulit Propheta, citra exceptionem vllius ex eorum numero, vt non sit

obſcurū,omnes in vniuerſum Sacerdotes accuſari,quòd omnes eſſent violatores pacti Leuitici.

Iuſtum itaque erat, etiam apud populum Iudaicum in honore & pretio nullo eſſe Sacerdotes.

DE GLORIA ET DE CONTEMTV, APHORISMI.

1. Idem auctor nobis eſt, ſeu gloriæ ſeu ignominiæ, uidelicet Dominus Deus noſter. Iuxta dicta. Quia Sol & ſcutum nobis Iehouah Deus: gratiam & gloriam dat Iehouah, nec prohibet bonū ambulantibus perfectè, Pſal. 84.12. Itē, Effundit contemtū in Principes, & errare facit eos in ſolitudine, in qua non eſt via. Pſal. 107. 40. Et hoc loco Dominus per Malachiam de Sacerdotibus Iudaicis dicit: Ego reddidi vos contētos & abiectos toti populo.

2. Vt autem gloria & auctoritate, fidos ſeruos ornat Deus: ſic ignominia afficit Mercenarios: vt teſtantur omnium temporum exempla.

3. Nequaquam παράδοξον eſt, ſi quis dicat, ignominiam quæ ex mundo eſt, Dei ſeruis eſſe honorificam: Gloriam autem mundi huius, ignominioſam eſſe Mercenarijs.

4. Non poſſunt coniungi gloria quæ ex Deo eſt, & gloria mundana. Mundus enim ἄσπονδον πόλεμον, Satana duce, cum Deo gerit. Ideò qui hominibus placet, Chriſti ſeruus eſſe nequit, Galat. 1. 10.

5. Felix eſt qui gloriam mundi contemnit, vt gloria, quæ eſt ex Deo, fruatur.

6. Infeliciſsimus eſt, qui gloriæ mundi ſtudio ductus, gloriam quæ eſt ex Deo negligit.

Coronidis loco addam ſelectos quoſdam ſententiarum floſculos, quorum duo primi Auguſtiniani ſunt.

Laus mundi parum prodeſt, ſi conſcientia criminis mordet.

Laus & gloria, non in vulgo, ſed in reipſa ſuauis eſt.

Gloriam, inquit Chryſoſtomus, concupiſcens, non cogitat de labore.

Si gloriari vis, gloriam deſpice, & omnibus gloria digniſsimus videberis, Idem.

VERSVS X.

Lectio 17. *Nonne Pater vnus omnibus nobis eſt? nonne Deus fortis v-*
13. Octob. *nicus creauit nos? Quare perfidi eſſemus alter in alterū, profanando fœdus maiorum noſtrorum,*

Fœdus

Fœdus Maiorum suorum Iudæi vocabant,nuptias & cōnubia, etiam cum alienigenis,parentibus volentibus & procurantibus, contracta:quæ legis Mosaicę causa ipsis non videbātur dirimēda.

Cæterum hanc secundam Actionem de Nuptijs illicitis,orditur Propheta versu 10. & ei colophonem imponit vers.16. Primis autem tribus versibus,Dispar Matrimonium consultò contractū vitio vertit Iudæis. Quatuor sequētibus de Polygamia agit,cuius licentia,sæuitiæ maritorum erga miseras coniuges,ac temerarijs iniustisq; repudijs,ansam subministrabat.

Sophisma Iudæorum primum, quo vtebantur pro tuenda licentia ducendi alienigenas,tale erat.

Qui vnum eundemq; deum fortem, Patrem creatoremq; habent,ijs ius fasq; est matrimonium inuicem contrahere.

Gentes & Iudæi vnum eundēq; deum fortem,Patrem & creatorem habent.

Quis igitur his vitio det si matrimonij fœdere coalescant?

Respondeo ad Maiorem,veram eam tum demū esse,cùm non repugnat specialis aliqua sanctio diuina. Tum autem licentiæ illi aduersabatur lex:Non iunges te affinitate cum eis: filiam eis non accipies filio tuo. Auocabit enim filium tuum ne eat post me, & colent deos alienos:propterea irascetur furor Iehouæ in vos, & disperdet te citò,Deut. 7.3.4. Est igitur in maiore Paralogismus à dicto secundum quid ad simpliciter dictum.

In minore est ὁμωνυμία, Deus enim Pater dicitur, creationis & adoptionis respectu. Si creationem consideres,idem est Iudæorum & Gentilium deus & conditor ac Pater: si autem adoptionē, verorum Israelitarum Pater est & deus Redēptor. Ac veros Israelitas eos voco, quorum deus propitius videlicet pater, deus ille est,siue sint ἀδιαφόρως Iudæi,siue Ethnici. Rom. 3.29. An Iudæorū deus solùm? Annòn & Gentium? certè & Gentium,30. Siquidem vnus deus est, qui iustificabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.

Posterioris itaq; significationis respectu, falsò Iudæi dicebant, Patrem eundem esse Iudæorum & Gentium.

Eorundem Sophisma secundum,huiusmodi erat.

Perfidia alterius in alterum, modis omnibus est fugienda.

Atqui perfidia foret, dimissis & desertis alienigenis coniugibus, profanare fœdus maiorum auctoritate, consensu et exēplo initum.

Quare non sunt dimittendę alienigenæ cōiuges, sed retinendę.

Etsi ad Minorem, quæ vitiosa est, versu sequenti grauissimè respondet Propheta κατὰ βίαιον: tamen rectè nunc respondebimus, fidei nomine eam conuentionem indignam esse, quæ pugnat cum expressa lege Dei. Talis autem erat in pactis connubialibus inter Iudæos adhuc à cæteris populis certo deo consilio seiūctos, & inter Ethnicos. Erat igitur perfidiæ, in pactis illegitimis rescindēdis ἀλλὰς ἄλλος, quod veteri Prouerbio dici solet. Sed hic videre licet exemplum eorum, qui Camelum deglutiunt, & culicem excolant, Matt. 23. 24.

ATQVI PAVLVS APOSTOLVS DISPAR MATRIMO- *nium nequaquam soluendum prenunciat. Pugnat igitur cum Malachia.*

Committitur in hac Obiectione fallacia Ignorationis Elēchi, quia nec κατὰ τὸ αὐτὸ Malachias & Paulus loquuntur. Ille enim de Iudæis, qui certo Dei consilio, tum seiuncti erant à cæteris Gentibus, ut constare posset in qua gente nasciturus esset Mesias: hic aūt, etiam de ijs qui ex Ethnicis oriundi, & ad Christum conuersi erant, loquitur: nec πρὸς τὸ αὐτὸ differunt. Nam Malachias, non legitimè contracta matrimonia, ex legis præscripto, distrahenda esse: hic autem legitimè contracta, nequaquam religionis obtentu dissoluenda, ostēdit: nec deniq; ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ. Nam Malachias, quid veteris Testamenti œconomia & politia adhuc durante, sit faciendum: Paulus, quid Noui Testamenti tempore, pijs faciendum ferendumq; sit charitatis & ædificationis caussa, ostendit his quidē verbis: Reliquis autem ego dico, non Dominus (ergo ne quidem ἀναντως Malachias expressum Dei mandatum vrgens, Paulus autē fidele consilium dictās, pronunciāt.) Si quis frater vxorem habet infidelem, quæ consentiat ad habitandum cum eo, ne eam dimittito: & vxor quæ habet virum infidelem, qui consentit ad habitandum cum ea, ne eum dimittito. Subiungit ὑποφορὰν. Atqui si vnà habitent fidelis & infidelis, coniugij fœdere copulati, periculum est ne fidelis polluatur & profanetur cōtagione infidelis. Respondet Apostolus per ἀνταγώνισμα. Immò contra. Maritus infidelis sanctificatus est vxori: & vxor infidelis sanctificata est viro: alioqui certè liberi vestri impuri essent, nūc autem sunt sancti. Sed, dicet aliquis, quid tum faciendum erit, cum infidelis deserit fidelem coniugem? Respondet Apostolus: At si incredulus discedit,

discedat:

discedat:non est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi rebus:sed ad pacē vocauit nos Deus. Ecquid enim nouisti vxor, an virum sis seruatura? aut ecquid nosti vir an vxorem sis seruaturus? Hęc habentur, 1. Cor. 7.12.13.14.15.16. quæ ut cum superioribus collata illustrentur, addam paucula.

APHORISMI.

1. Pios in connubijs contrahendis, Religionis præcipuam habere rationem, æquum est. Aequalitas enim non solùm generis, ætatis, morum & opum, sed & pietatis ac fidei esse debet inter contrahentes, quibus illud vetus Prouerbiū cordi est: τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα. Æqualem ducito. Ac quæ fuerit hac in re solicitudo Patriarcharum, testantur Abrahæ & Isaaci exempla, Gen. 24. & 28.

2. Alia olim fuit Israelitarum (quibus non licebat durante Politia Mosaica alienigenas ducere, propter caussas suprà expositas) conditio: alia postea fuit fidelium ex Gentibus, Noui Testamenti temporibus.

3. Etsi autem interest, contrahendáne connubia sancias, an verò dudum contracta dissoluas: quia tamen, quod legitimum nunquam fuit iure rescinditur, nō iniuria Esdras & Malachias, Iudęis auctores fuerunt, vt alienigenas coniuges, repudiarent & dimitterent. Non enim licebat Iudæis eas vel ducere, vel ductas retinere contra expressam Dei legem.

4. Corinthijs fidelibus licuit retinere coniuges infideles, quæ maritos non deserebant. Erant enim ὁμογενεῖς, & lex Mosaica de Nuptijs Iudæis cū alienigenis non contrahendis, nihil ad eos: ac si qui inter Corinthios, Iudæi olim fuerāt, Politia Mosaica iā abrogata, retinere poterāt suas coniuges, etiam si Græcæ essent originc. In Christo enim nec Iudæus nec Græcus est: si in fide consentiant. Sin autem de religione quidem dissidium esset, de coniugio non item, hoc sartum tectum tueri poterāt. Religio enim in nouo Testamēto, non tollit legitima pacta cōnubialia & ciuilia.

5. Si tamē infidelis coniunx fidelē, religionis odio, deseruisset, ea res præiudicio fideli, neutiquam erat: qui culpam alienam præstare non poterat.

6. Meminerint autem iuniores, hic agi de ijs qui reuera fideles sint, non autem qui sua τῇ ἀσωματίᾳ & errore tales sese esse falsò gloriant. Memini mulierem Anabaptisticam, quæ deserto Marito, liberisque neglectis, profugerat in Morauiam, hoc

vti colore in Epistola, qua respondit ad Citationem (quam vulgò vocant) ad se procurate Principe, missam: Maritũ infidelẽ esse (profitebatur n. Euãgelij doctrinã:) se verò fidelem. Ideò sibi non esse integrum cũ eo habitare. Quod aũt illa pertinaciter in proposito persisteret, marito tandem ad secunda vota, quæ vocant, transeundi, copia facta est. Nam, vt ait Paulus, fidelis reuera, ab eo qui æquiuocè fidelis, propriè autem infidelis est, desertus, non est seruituti subiectus, in huiusmodi rebus.

Lectio 18. 22. Octob.

VERSVS XI.

Perfidè agit Iehuda & abominatio fit in Israele, & Hierosolymis: profanat enim Iehuda sanctitatem Iehouæ, quam amaturus fuerat, ducendo filiam Dei alieni.

Est ἀντεχύπνημα, quo refutatur Minor secundi Sophismatis, quod traditum est proximè præcedenti versu. Eius autem hæc sententia est, Perfidia foret modis omnibus flagitiosa, dimissis alienigenis Coniugibus, profanare fœdus Maiorum nostrorum.

Sanctitatem quam amaturus erat Iehouah, vocat Iudæos, qui si in fide & obedientia erga Deum perstitissent, gens sancta fuissent. Deuteronom. 4. 7. Quæ enim est gens ita magna, cui sint Dij propinqui, sicut est Iehouah Deus noster, in cunctis pro quibus inuocauerimus eum?

Sic autem argumentatur Propheta. Profanatio sanctitatis Iehouæ, plena est perfidiæ: & per consequens est abominanda. Iudæi autem profanant sanctitatem Iehouæ. Itaq; rei sunt perfidiæ erga deum: & sunt abominabiles.

Minorem probat. Qui ducunt filias dei alieni, profanant sanctitatem Iehouæ. Etenim Gentem quam sibi Deus segregauerat in peculium, cum alijs profanis populis confundunt. Vos Iudæi ducitis filias Dei alieni. Igitur profanatis sanctitatem Iehouæ.

QVOMODO SERVIET HIC LOCVS NOSTRIS VSIBVS?

I. Si illud perpenderimus, nostri esse officij sanctificationis seu segregationis nostræ de mũdo, meditatione, sic cõmoueri, vt à uitijs & sceleribus solicitè nobis caueamus, plurimum sanè nobis proderit. Atq; ita Petrum argumentari uidemus, 1. Ep. 2. Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gẽs sancta, populus quem sibi ut peculiarem Deus uendicat. uers. 9. & 10.

Abstinea-

Abſtineamus ergo à carnis cupiditatibus, quæ militant aduerſus animam: Et conuerſationem ueſtram habeatis honeſtam inter Gentes, &c. verſ.11.12.

II. Si in connubijs contrahendis & conſeruandis, maiorem habuerimus rationem Dei & obedientiæ ipſi debitæ, quàm coniugum, aut aliorum coniunctiſsimorũ hominum. Iuxta illud Chriſti dictum: Et quiſquis reliquerit domos, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros cauſſa nominis mei, centuplicia accipiet, & uitam æternam hæreditatis iure percipiet, Matt.19.29. Iam uerò ſi Chriſti cauſſa uxor pridem ducta relinquenda eſt, ſi interſit gloriæ Dei & ædificationis Eccleſiæ: quis dubitet eaſdem ob cauſſas, ne quidem eſſe ducendam. Maior enim nobis habenda eſt diuinæ uoluntatis, quàm totius mundi ratio.

III. Si in rebus æſtimandis, non carnis σοφὰ φάρμακα, ſed Dei iudicium ſecuti fuerimus: illud perſuaſum habentes quod Paulus grauiſsimè dixit: θεὸς οὐ μυκτηρίζεται, Deus non irridetur, Gal.6.7. deũ itaq; irridebant Iudæi, pro tuendo diſpari Matrimonio dicentes: Ethnici naturæ & creationis cõmunione nobis iũcti ſunt: & eos per matrimonium ad fœderis fideiq; ſocietatẽ inuitare, laude dignũ eſt. Quis igitur nobis uitio uertat connubia cum alienigenis?

VERSVS XII.

Exſcindet Iehouah vigilantem & reſpondentem viro, qui ſecerit illam è tentorijs Iaacobi, etiam offerentem munus Iehouæ exercituum.

Vigilantem & reſpondentem uocat eum, qui quòd uideretur uigilare & excubare pro ſalute populi Iudaici, & conſilio ualere plurimùm, uulgo in re connubiali alijsq; negocijs, conſulebat. De multis autem eiuſmodi Δωροφάγοις conſultis, perinde vt de vno loquitur: quòd non tam ouum ouo ſimile ſit, quàm iſti ſibi inuicem.

Virũ facientem illam abominationem, appellat conſultorem, qui cõſulti iudicio confirmatus, contra expreſſam dei legẽ ducebat, & retinebat ſecum vxorem, filiam dei alieni, id eſt, Ethnicam fœminam, colentem ſua idola.

Offerentem munus Iehouæ vocat Sacerdotem, qui ex hominibus aſſumebatur, & pro hominibus conſtituebatur, in ijs quæ

apud deum agenda sunt: vt offerret donaria & victimas pro peccatis, Heb. 5.1. Erat etiam illorum munus consultoribus, ex praescripto legis diuinae, de agendis & omittendis respondere. Deut. 18.15.16.17.18. Vt autem saluberrima erant eorum consilia & monita, ex legis hausta penetralibus: sic noxia erant praua illorum consilia & indulgentię, quas quaestus gratiaeq; aucupandae caussa, largiebantur.

Sic autem argumentatur: Dei comminationes de internecione impiorum hominum, sub pietatis praetextu, delinquentium, non sunt inanes aut irritae, vt testatur exempla de Hanania pseudopropheta. Ierem. 28.16. Idcirco sic dixit Iehouah, Ecce emittam te de superficie terrae, hoc anno morieris: quia verbum declinans locutus es contra Iehouam. 17. Mortuus est Hananias Propheta, eodem illo anno, mēse septimo. Et illud de Semaia, qui cum non missus esset à Iehouah, prophetauit, & confidere fecit Iudaeos in mendacio, Ier. 29,32. Idcirco dixit Iehouah, Ecce ego visito super Semaiam Nehelemiten, & super semen eius, Non erit ei vir habitans in medio populi, neq; videbit bonum illud quod faciam populo meo, dixit Iehouah, quia verbum declinans locutus est contra Iehouam.

Sed Iehouah auctoribus & approbatoribus connubij cū alienigenis, non minus quàm perfidis illis maritis, minatur citra προσωποληψίαν, quòd eos exscindere & perdere, constitutum habeat. Ac ne quidem sacerdotes eius sceleris rei, poenas illas effugient. Erit enim malum consilium, pessimum consultori, vt habet adagium.

Ne quis igitur putet hanc dei comminationem esse fulgur è pelui, aut brutum fulmen.

DE FAMILIARVM PERIODIS, ἐμβλήματα.

1. Iusto dei iudicio fit, vt quondam florentissimae familiae, funditus intereāt & extirpētur, peccata seminis deo in semine puniente. Exemplo sunt regię familiae, Saulis, Iarobeami, Ahabi.

2. Haec tamē πανωλεθρία, pijs quibusdā, qui parētibus impijs nati sunt, nō est exitio. Vt Ionathā, & si coactus est τροποφορεῖν, & multa aduersa patris caussa tulit, ac tandē in pręlio occubuit: non tamen ideò de aeterna salute periclitatus est. Tēporales enim Sanctorū aerūnae non sunt praeiudicium de aeternis poenis: sed δοκιμασία, seu exploratio eorum, &c.

DE CHRESTOLOGIS ECCLESIASTICIS.

1. Inter seductores, quos Paulus mẽtium deceptores, φρεναπάτας vocat, Chrestologi numerandi sunt.

2. Sunt autem ij, qui nulla verbi diuini ratione habita, iudicia de doctrina & de vita, inflectunt ad arbitria & desideria hominum suis cupiditatibus deditorum, vt turpi lucro, hominumq́; gratiæ aucupandæ, seruiant.

3. Magna autem & Deo summè abominanda eorum impostura est, cum de vita moribusq́; hominum, non secundum lydium lapidem diuinæ legis, sed secundum Lesbiam regulam vitiosorum exemplorum, & desideriorum carnalium, pronunciare audent.

4. Omnium tamen maxima, modisq́; omnibus detestanda est impostura, quæ adhibetur ἑτεροδιδασκαλίας causa, vt illa, velut fucata quædam meretricula, plausibili specie in proscenium, adducatur, & homines ἀκέραιοι seu minimè mali, seducantur. Maius enim periculum est, à contagione hæreticorum, quorum sermo gangrænæ instar serpit, quàm vitiosis exemplis vitæ impurę & à temerarijs iudicijs de moribus.

5. Iusto autem dei iudicio fit, vt qui gloriæ & vtalititis caussa, veritatem in doctrina, & synceritatem in vitæ moribus, quãtum in ipsis est produnt, & gloriæ & vtilium rerum iacturam faciant, deoque & hominibus tandem sint abominabiles.

VERSVS XIII.

Atq; hoc secundum facitis, operiendo lacrymis altare Iehouæ fletu & exclamatione: adeò vt minimè amplius respiciat Deus ad munus, & recipiat oblationem acceptam è manu vestra.

Orditur altera, de Polygamia Iudæorum, reprehensionem, cuius sententia huc redit.

Cultus ceremonialis, si expers sit charitatis, non placet deo.

Talis autem vester, ò Iudæi, cultus est. Itaq; nequaquam Deo probatur, Vult enim is, opera primæ Tabulæ operibus charitatem sibi debitam, cum amore proximi: cultum sibi debitum, cum officijs humanitatis erga proximũ coniungi, Matthæi quinto, vigesimotertio, vigesimoquarto.

Minor probatur. Nam oblationes quidem vestras, magna cum

ſuperſtitione deo quotidiè offertis:ſed interim Polygamiæ dediti,tranſgredimini Præceptum:Mulierem quoque cum ſorore ſua non accipies,ad affligēdum,ad reuelandam turpitudinem eius, ea vidente in vita ſua.Leuit. 18.18. ac tanta eſt veſtra erga miſeras coniuges,quarum forma ętasq́; florens iam præterijt, inhumanitas & ἀστοργίᾳ:vt miſeræ illæ,lacrymis planctuq́; altare Domini oppleant,efficiantq́; vt cultus veſter Deo ſit ingratiſsimus & moleſtiſsimus.Enimuerò,ſi ne quidem ſancti homines Iacob patriarcha & Elcana pater Samuelis,cū polygami eſſent,domeſtica coniugium diſsidia cauere potuerunt: quid non accidiſſe in ædibus profanorum patrumfamiliās,qui polygami & erga coniuges moroſi difficileſq́ue erant,iudicabimus?

THESIS.

Qui dei cultu, citra charitatē proximo debitam, defunguntur, non colunt,ſed offendunt Deum.Iuxta hæc dicta:

Igitur ſi munus tuum attuleris ad altare, & illic memineris fratrem tuum habere aliquid contra te,omitte illic munus tuum coram altari,& abi: primùm reconciliator fratri tuo,& tum veniens offer munus tuum,Matt. 5.23.24.

Item:Si quis videtur religioſus eſſe inter vos, non frænans linguam ſuam,ſed ſuum ipſius cor ſeducens,huius vana eſt religio. Religio pura & immaculata apud deum & patrē, hæc eſt, inuiſere orphanos & viduas in afflictione ipſorum: & immaculatum ſeipſum ſeruare à mundo,Iac.1.26.27.

Item,Quæ vtilitas,fratres mei,ſi fidem dicat aliquis habere ſe, opera verò non habeat?num poteſt illa fides eum ſeruare ? Quòd ſi frater aut ſoror nudi fuerint, & egentes quotidiano victu, Dicat autem eis aliquis veſtrum,Abite cum pace, caleſcite & ſaturamini:non tamen dederitis eis quæ ſunt apta corpori, quæ erit vtilitas ? Ita quoque fides, ſi opera non habeat, mortua eſt per ſe, Iac.2.14.15.16.

Lectio 19. 23. Octob.

VERSVS XIIII.

Dicitis autem, Propter quid? Propterea quòd Iehouah teſtificatus eſt inter te & vxorem adoleſcētiæ tuæ, contra quam tu perfidè agis, cum ſit ſocia tua & vxor fœderata tibi.

Duo hic notanda nobis ſunt,Sophiſma Iudęorum:& dei ἀνταγώνισμα,quo ceu clauum clauo repellit.

Sophiſma

Sophisma, Non est consentaneum, si quis dicat Deũ non accipere oblationes, boniq; consulere, quas & magno constare, & studiosè sibi offerri videt. Tales autem sunt nostrę oblationes, quas etiam σωματικὴ γυμνασία mirum in modum commendat. Falsum igitur est quod contendis, ei non placere cultũ & oblationes istas.

Ἀνταγώνισμα est. Impossibile est, Deo placere cultum, quē ij præstant, quibus non est religio, sanctum Dei nomen profanum ducere, & iusiurandum in eius nomine sanctè præstitum, summa cũ perfidia violare. Vos autem Iudęi, fidem olim coniugibus vestris, inuocato nomine meo, datam scelerate violastis, ductis alienigenis, & illis neglectis. Non enim vel diuina lex, vel grauissimæ monitiones licentiam vestram effrenatam, coercere potuerunt. Inter Salomonis monita, hoc est, quod ad nostrum institutum pulcrè facit: Sit scaturigo tua benedicta, & lætare de vxore adolescentiæ tuæ. Cerua amorum, & caprea gratiæ: hubera eius inebriēt te omni tempore, in amore eius delecteris iugiter. Et ut quid delectaberis fili mi, cum aliena, & amplecteris sinum extraneæ, quando coram oculis Iehouæ sunt viæ viri, & omnes semitas eius põderat? Prou. 5. 18. 19. 20. 21.

Vester ergo cultus, quem Deo vos pręstare gloriamini, nequaquam illi acceptus est.

Cæterum hoc argumentum monet secundum præceptum, de diligendo proximo, primo simile, & ab eo neutiquam esse seiungendum. Iuxta illud: Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usq; adhuc. Qui diligit fratrem suũ, in luce manet, & offendiculum in eo non est: qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ oculos eius excæcarunt 1. Ioan 2. 9. 10. 11. Item, Qui autem habuerit facultates mundanas, & viderit fratrem suum egentem, & clauserit viscera sua coram eo, quomodo charitas Dei manet in eo? 1. Ioan. 3 17.

Quid autem est Deum irridere, & summa afficere contumelia, si hoc non est, quãdo quispiam, Deo quidem pietatem, proximo aũt debitam charitatem, probare recuset: & interim, illi quidem literæ cultu præstito, verba dare, in hunc autem iniurius esse, pergit? Det nobis Dominus Deus noster, ut ipsi soli, nos totas offeramus, hostiã viuam καὶ λογικὴν λατρείαν: deinde vt affectũ & officia dilectionis, sine omni fuco proximis nostris per omnẽ vitã pręstemus, Amen.

I Alterum

Alterum quod hoc loco confiderandum eft, Coniugum videlicet officium, Pauli Apoftoli verbis, quàm meis, explicare malo. Viri diligite vxores veftras, ficut & Chriftus dilexit Ecclefiam, & femetipfum expofuit pro ea. Vxores proprijs viris fubiectæ eftote, vt domino, Ephefeor. 5. 25. 22. Ifta breuiter monere licet.

VERSUS XV.

Nam nonne vnum effecit, cum reliqui ſpiritus penes ipſum eſſent? Quid autem vnum? quæſiturum ſemen Dei: idcirco cauete ſpiritui veſtro, et in vxorem adoleſcentiæ tuæ ne perfidè agito.

Sentētia fubobfcura eft, fed illuftrabitur, fi meminerimus, primùm dei nomen effe fubintelligendum: deinde, reuocari Iudęos ad coniugij inftitutionis (quæ regulę cuiufdam loco eft) confiderationem. Vtitur autem interrogationibus, amplificandæ indignitatis rei cauffa, & raciocinatur in hunc modum:

1. Coniugij corruptelæ, exigendæ funt ad ordinationis eius canonem, è quo colligi poteft forma fancti coniugij, à qua quicquid alienum eft, probari non debet: ita cum Paulus ἀταξίαν circa vfum Cœnę domini, quæ inualuerat apud Corinthios emendare vellet, reuocauit Corinthios ad primæ inftitutionis meditationem, 1. Corinth. 23.

Atqui deus, cum inftitueret matrimonium, etfi effet reliquorum quoq; fpirituū pater: tamen fummo confilio fecit vnū, id eft, fecit vt duo tantum effent caro vna: cum præter Euam, alias multas, fi placuiffet ipfi conditori, Adæ coniuges creare & conciliare poffet.

Huc faciūt dicta Mofis & Chrifti, quæ recitabo. Gen. 2. 22. Ædificauit Iehouah deus coftam illam quā tulerat ex homine in mulierem, & adduxit eam ad hominem. 23. Dixitq; Homo, Hac vice os ex ofsibus meis, & caro ex carne mea: propterea vocabitur Viriffa, quia ex viro fumta eft ifta. 24. Ideo derelinquet vnufquifque patrem fuum ac matrē fuam, & adhærebit vxori fuæ, eruntq; caro vna. Matth. 19. verf. 4. Iefus refpondens Pharifæis, dixit: Nō legiftis opificem feciffe ab initio mafculum & fœminam? 5. & dixiffe, Propterea relinquet homo patrem & matrem, & agglutinabitur vxori fuæ, & qui duo fuerant, erunt vna caro. 6. Itaq; non

amplius

amplius ſunt duo,ſed vna caro,quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeiungat.

Itaq; veſtra illa Polygamia, eiusq; comes domeſtica διχογαμία, pugnat cum prima Coniugij inſtitutione,eiusq; forma.

2. Iam verò ſi αἴτιον κύριον ſpectetis, videlicet Deum, auctoré Matrimonij,ſic ratiocinatur: Quis dubitet eius iudicio de re connubiali potius ſtandum, penes quem arbitrium & poteſtas eſt omnium Spirituum,& qui eſt iuſticia & ſapientia ipſa:quàm eorum qui iniuſticiæ & ſtulticiæ obnoxij & rei,ad gratiam hominum aucupandam,nihil non dicunt & faciunt. Atqui Iehouah Deus noſter,eſt ipſa iuſticia & ſapientia: penes eum vnum eſt plena poteſtas in omnes creaturas,eſt Deus ſpirituũ vniuerſæ carnis,Num. 16.22.Pater Spirituum, Hebr 12.9.Veſtri autem vigilantes & reſpõdentes, qui & polygamiæ & diſparis matrimonij licentiam, excuſant,homines ſunt iniuſti,ſtolidi,turpis lucri cupidi. Nõ igitur horum errore,ſed Dei Iudicio vobis ſtandum eſt.

3. De fine autem Matrimonij,Erotema,Quid autem vnum?Hoc eſt,Quare Deus ſanciens ordinem coniugalem, duos eſſe voluit vnam carnem,non autem plures,ut Polygami volunt?&ſubiectionem, Quæſiturum ſemen Dei,accipio.

Sententia eſt,Si duobus in vna carne conciliatis, ſecũdum Dei conſilium,pia Deum timentium ſoboles procreari potuit,tum nõ opus erat Polygamia ad huius propagationem & multiplicationem.Verum eſt quod Antecedit. Non enim Dei conſiliũ fruſtrari poteſt ſuo fine. Ergo & poſterius eſt verum . Apparet autẽ Prophetam,eadem opera diluere Polygamorum ſpecioſam, de multiplicatione ſobolis piæ,obiectionem.

4. Addit grauiſsimam admonitionem: Ideò cauete ſpiritui veſtro,& in vxorem adoleſcentiæ tuæ ne perfidè agito.Enallage eſt perſonæ.Sentẽtia autem hæc eſt,Cum fidem dederit,ſuæ quiſq; Coniugi, ne quis eam violet: ſed ſanctè ſeruet. Rectè Euripides apud Stobæum:

ἐγὼ γὰρ ἔξω λέκτρ', αὐτοῖς καλῶς ἔχειν
δίκαιον εἶναι, οἷσι συγκεκράτομαι, & Homerus.
——*ὅστις ἀγαθὸς καὶ ἐχέφρων*,
τὴν αὐτοῦ φιλέει καὶ κήδεται——

VERSVS XVI. Lectio 20.

Sibi odio eſſe dimiſsionem,ait Iehouah Deus Iſraelis: nam eum 24.Octob.

I 2 *operire*

operire violentiam pallio ipsius, ait Iehouah exercituũ: quare cauete spiritui vestro, ut non perfidè agatis.

Sic argutabãtur Iudæi, pro tuenda sua leuitate in rescindẽdis pactis cõnubialibus. Quod lex diuina sanxit, Deo non potest displicere, Atqui ius repudiandi cõiuges, sanxit Deus expressa lege, quæ extat Deut. 24. 1. 2. 3. 4. Ergo nõ debet nobis vitio verti, quòd, cùm ita visum est, repudiamus ingratas coniuges.

Responsio ad Minorem, per ἀντιπαράστασιν, immò verò Deo odio est, illa dimissio temeraria & iniusta, coniugum vestrarum. Prius autem quàm argumentum adducam, eiusdẽ quæstionis decisionem adducam, ex Matt. 19. 7. 8. 9. Dicunt Pharisæi Christo, cur ergò mãdauit Moses dare libellũ discessionis & eam dimittere? Dicit eis, Moses pro duricia cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras: cæterum à principio non fuit ita: Dico autẽ vobis, quicunq; dimiserit vxorem suam, nisi ob scortationem, & aliam duxerit, eum mœchari: & qui dimissam duxerit, mœchari. Et Matt. 5. 31. 32. Dictum est autẽ, Quisquis dimiserit vxorẽ suam det ei libellum discessionis. Ego verò dico vobis, eum qui dimiserit vxorem suam, extra rationem scortationis, facere vt ea mœchetur: & eum qui dimissam duxerit, mœchari.

Impietas est deo exosa (argumentatur è contra Malachias) legis diuinæ pallio, violẽtiam suam operire. Vos Iudæi temerè ablegãtes vestras Coniuges, id facitis. Nam legem, qua præcipitur, vt repudiatæ detur libellus repudij: ne duplici iniuria afficiatur: eò detorquetis, quasi patrocinetur vestræ licentiæ in abijciendis coniugibus. Atqui longè aliud est præcipere vt repudiatæ detur libellus abscessionis, aliud præcipere repudium. Vos igitur rei estis impietatis, quam deus seriò detestatur.

Thesis: Deo abominanda impietas est, prætextu legis ipsius, licentiæ peccandi, patrocinari: & verbo dei abuti, ad opinionum monstra pallianda & ornãda. Multis autem exemplis id demonstrari poterat, sed iunioribus gratificandi studio hæc paucula solum adducemus.

Saul rex deuictis Amalecitis, pepercit armentis & pecoribus, contrà quã in mandatis acceperat: ac cum obiurgaretur à Samuele Propheta, sophisticè ei respondit, vt se populumq; purgaret: Ex Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus optimæ parti ouium, & bobus, vt sacrificaret Iehouę deo tuo: residuũ verò perdidimus,

didimus, 1. Sam. 15. 15. Tulit autem grauissimum responsum: Nunquid voluntas Iehouæ est in holocaustis & victimis, vt in obtemperando voci Iehouæ? vers. 22.

Christus dominus noster, hoc vitio dat sacerdotibus & Pharisæis, quòd prætextu victimarum legalium, quas lucri sui caussa, accumulare studebant, transgresionem præcepti diuini de parentibus honorandis, palliarent, Liberis nimirum persuadentes, vt quod parentibus erat dandum, id dei cultum ceremonialem conferrent, Matth. 15.

Cum primum Euangelium regni Christus dominus noster cœpisset promulgare, statim exorti sunt qui dicerent, eum dissoluere legem & prophetas, Matth. 5. 17.

Paulus etiam, cum fide, absque legis operibus nos iustificari, docuisset, statim quibusdam dictus fuit legem inanem reddere, Roman. 3. 31.

Et nostra ætate Enthusiastę Eutychiani, qui Christum in carne venisse: & hanc creaturam esse negant, annòn vtuntur Maiestatis Christi hominis, magnifico prætextu?

VERSUS XVII.

Fatigatis Iehouam verbis vestris, & dicitis, Qua in re fatigamus? In eo quòd dicitis, quisquis facit malum, bonus videtur in oculis Iehouæ: & istis ipse delectatur: aut vbi est Deus iudicij?

Hic orditur Propheta tertiam Actionem, quæ est de Epicùreismo, & eius impudentissima defensione. Fatigare autem Iehouā verbis suis, per ἀνθρωποπάθειαν dicuntur, qui etsi rebus ipsis et quotidianis Prouidentiæ & iudicij diuini documentis erroris & mēdacij redarguantur & conuincantur: furenter tamen contendūt, se iniurià perstringi, quòd impiè negent esse iustorum & iniustorum dissimiles euētus: pro sua videlicet ἀδιατρεψίᾳ, qua Caium Caligulam egregiè referunt, ea verbis negantes, quæ factis totaq; vita sua, contestabantur.

Hæ autem erant, cordiū Epicureismo fascinatarū, blasphemiæ.

1. Impios peccata facientes, bonos videri Deo: eiq; placere.
2. Pios contrà rectè agentes, malos videri Deo.

Sic autē argumentabantur: Si esset Deus iudicij, id est, si esset iustus iudex, tum nec malè facientes, pro bonis: nec benè agentes, pro malis haberet: nec etiam sic conniueret ad humanos ca-

ſus,ut bonis malè,malis benè vnquam eſſe poſſet. Se enim Deũ, iudicemq; mundi eſſe, ipſis factis & diſcrimine ſortis bonorum & malorum,oſtenderet.Atqui ille nos benè agentes ſacrificando & legali cultu defungendo, pro malis habet & accuſat: Eos autẽ qui cultum illum non præſtant,pro ſuis habet & agnoſcit. A' nobis eſt alienus:illis autem propitius. Igitur non eſt iudicij Deus.

QVOT MODIS ERRANT, QVI AD EVM *modum cum Deo diſceptant?*

Hauddubiè multis modis. Quid enim luto, cum immortali Deo & conditore certanti,de ſapientiæ & iuſticiæ laude,eiq; aduerſanti,non fucum faciatr?

1. Cum literæ cultu,ſine omni pietate,defuncti ſunt,ſeſe præclariſsimè de Deo meritos,ac hunc ſibi obnoxiũ eſſe, opinantur, & ſtolidè gloriantur. Atqui huius ſceleris reprehenſionem & pœnam atrocem promeriti ſunt,non laudem aut præmium.

2. Toto cœlo errant,cum ex dilatione pœnarum & pręmiorũ, colligunt non eſſe cur ſibi ullus mortalium polliceatur pręmiorũ & pœnarum diſpenſationem.

3. Errant etiam,cum res ſecundas,ſceleratorum: & res aduerſas,piorum,æſtimant.Illas enim in bonarum, has in malorũ cenſum,ἀδόξων referunt. Nam ut ſecũdæ res improbis ſcandalo ſunt: ſic aduerſæ, pijs adiumento ſunt in bonum. Deſtituor ocio,itaq; hîc finem facio,cætera pijs veſtris meditationibus relinquens.

QVOD IMPROBIS HOMINIBVS NEQVA- *quam delectetur Deus*

Epicurei ſic colligũt, ſi nõ delectaretur deus hominibus improbis,tũ nulli eſſent eorũ ſucceſſus. Atqui magni ſunt ſucceſſus improborũ hominum. Hoc autẽ vſq; adeò verum eſt,vt etiam vnus idemq; in bona cauſſa ſit infelix,in mala autem cauſſa felix:vt de Põpeio Magno,cauſſam Reipub.(vt videbatur) defendẽte,Cato Vticenſis pronũciauit,addito Epiphonemate Ethnico: In diuinis rebus multũ eſt caliginis.Igitur(abſit dicto blaſphemia)deus delectatur improbis hominib. & perconſequẽs,Probis nõ delectatur.

Multa autem ſunt,Epicureæ huius τῆς λεπτολογίας,vitia,de quorum nonnullis dicam.

1. Scelerata imaginatio eſt,fingere deum, qui eſt ipſa iuſticia & bonitas, delectari & improbitate & improbis hominibus. Quomodo enim delectetur ijs,quæ ipſius naturę ἐκ διαμέτρου repugnãt?

2. Pror-

2. Prorſus ἀναπόλαυστα ſunt ferre improbos certo conſilio: & ob id ijs delectari?

3. Nulli ſunt improborum ſucceſſus: quia conſilia & ſententiæ eorum vitioſæ ſunt, & earum euentus ſcandalo ipſis ſunt, inque malum cedunt.

4. Quis autem miretur eiuſdem hominis, aliàs rectè & prudenter, aliàs polypragmonicè & imprudenter agentis, diſsimiles eſſe euentus?

5. Rectius Cratippus Pompeio de Prouidentia, conquerenti reſpondit, quàm Cato de eadem pronũciauerit. Ille enim de cauſſa efficiẽte principe, & de προκαταρκτικῇ rectè ſanè cogitás, reſpondit: ὅτι τοῖς πράγμασιν ἤδη μοναρχίας ἔδει διὰ τὴν κακοπολιτείαν: ἐρέσθαι δέ πως, ὦ Πομπήϊε, καὶ τίνι τεκμηρίῳ πεισθῶμεν, ὅτι βέλτιον ἄν, σὺ τῇ τύχῃ καίσαρ δ' ἐχρήσω, κρατήσας: ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐατέον ὥσπερ ἔχει τὰ τῶν θεῶν, ut eſt apud Plutarchũ. Hic verò uſqueadeo ſibi placuit, ut in ſua στερεογνωμοσύνῃ mori maluerit, poſteriſq; ſuggerere materiam verſus:

Victrix cauſſa Deo placuit, ſed victa Catoni,
Scilicet Catonis erat, cuius iudicium opponi diuino poſſet?

Sed enim omiſsis illis palàm profanis hominibus, ad eos accedamus, qui etſi in Eccleſiæ ſocietate verſantur, ijſdem tamẽ quibus illi, imaginationibus tentantur. Nota ſunt verba Salomonis, Eccleſ. 9. 2. Omnia eueniunt cõſimiliter omnibus: euentus vnus eſt iuſto & impio: bono mundoq; & immundo: ſacrificanti quoque, & ei qui non ſacrificat: ſicut bonus, ſic & qui peccat: & is qui peierat, eſt ſicut is qui iuramentum timet.

3. Hoc malum eſt inter omnia quę fiunt ſub ſole, quòd euentus vnus ſit omnibus, &c.

Reſpondeo autem κεφαλαιωδῶς, cum deſit tempus.

1. Quis miretur literę cultu defungentium, non admodum diſſimiles eſſe euentus?

2. Quod ſecundum quid, de quibuſdam vulgarib. euentib. dicitur, quis homo intelligens, de omnibus accipiat?

3. Nequaquam autem huius vitæ calamitates, pijs ſunt præiudicio in ijs quæ ſalutis ſunt.

CAPVT III. VERSVS I.

Ecce ego miſſurus ſum Angelum meum, qui expediat viã ante me: & repentè veniet in Templum ſuum Dominus, quem Lectio. 21. 26. Octob.

vos quæritis, & Angelus fœderis, quo vos delectamini, ecce venturus est, ait Iehouah exercituum.

Quia superiore proximo versu, propositionem Epicuream impudenter negātem, Dei iusticiam & iudicium, aliaq; homogenea attributa, Malachias recitauerat, actionis tertiæ Iudæis intendendæ gratia: nunc eius ἀνασκευὴν & refutationem orditur.

Si non multo pòst Iehouah deus, viam suā (quæ summè recta, iusta & æqua est: vt toties in Psalmis dicitur.) expediet: tū non est in dubium vocanda eius iusticia. Verum est quod antecedit, Verum igitur est & quod sequitur.

Cæterum huius pulcherrimi oraculi, de exhibitione Mesiæ, & de eius προδρόμῳ Iohanne Baptista illustrandi caussa, Circumstantias ordinè, breuiterq; perpendemus.

1. Quis missurus est Mesiam? Iehouah exercituum, Pater æternus. Iuxta dictum: Ita enim deus dilexit Mundum, vt filium suum vnigenitum dederit, vt quisquis credit in eum non pereat: sed habeat vitam æternam. Nōn enim misit deus filium suum in Mundum, vt condemnet Mundum: sed vt seruetur Mundus per eum, Ioan. 3. 16. 17.

2. Quem eius præcursorem esse voluit? Iohannem Baptistam Zachariæ filium: de quo Christus dominus ipse, primam partem vaticinij huius interpretatus est, Matt. 11. 10. Vocat autem eum Angelum, officij non naturæ respectu. Functus enim est suo tempore legatione.

3. Quōdnam autem huius legati officium esse voluit? Expedire viam ante dominum, hoc est, conuertere multos filiorum Israel ad dominum deum ipsorum. Præcedere in conspectu Christi, cum Spiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda Patrum in filios, & rebelles ad prudentiam iustorum: vt paret domino populum instructum, Luc. 1. 16. 17.

4. Quando fit Mesias venturus? Statim atq; Ioannes Baptista prædicare cœperit. Matt. 3. 13. Tunc aduenit Iesus à Galilæa in Iordanem, vt baptizaretur ab eo, &c. Hæc autem inciderunt in Annum à condito Mundo 4000. Christi Iesu 30. vltimæ hebdomadis Danielis medio, anno videlicet Hebdomadum 487. vt in sua Isagoge Chronologica docuit, vir ille doctissimus D. Abrahamus Bucholtzerus, Theologus eximius & Polyhistor candidissimus.

5. Quæ sunt nomina Mesiæ? vocatur Adon, Dominus, & Angelus

gelus fœderis. Est enim dominus noster, & διαθήκης καινῆς μεσίτης, noui Fœderis mediator, Heb.9.15.

6. Quónam autem venturus est Messias? In Templum suum. Docturus enim erat in secundo Templo, iuxta Haggæi vaticiniũ: ac ea causa fuit, cur tanto cum zelo eijceret vendentes & ementes è Templo, molesteque ferret Domum precationis in speluncam latronum esse conuersam, Ioan.2.

7. Quo affectu & animo est excipiẽdus Messias? Eo quo diu quęsitum & desideratũ, cum delectatione religiosa excipere par est. Loquitur autẽ de piorũ affectu, & desiderio exhibitionis Messię, de quo dicitur: Amẽ, enim dico vobis, multi prophetæ & iusti desiderarunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & nõ audiuerũt, Matt.13.17. Nihil autem dubiũ est, prophetã εἰρωνικῶς Iudęis incircũcisis corde & duris, desideriũ illud tribuere: desiderabant enim illi aduentum Messię, sed eo affectu, quo Ieuicula προσωποληπτικῇ caussa veritati, ebrij voluptatibus homines eiusdem secundum aduentum desiderare solent.

8. Quomodo autem hæc omnia faciunt: ad euertendas Epicureas illas de deo opiniones? Egregiè sanè eò faciunt. Lucet enim in Messię exhibitione, primùm dei veritas, qui promissiones suas adimpleuerit: deinde dilectio καὶ φιλανθρωπία, quia nobis dedit Filium: tertiò, iusticiæ & misericordiæ temperamentum, quia sic nos iustificat gratis, vt tamẽ iusticiæ suę satisfieri voluerit: quartò, iudicium: non enim omnes participes facit beneficiorum Christi, sed eos tantùm, quibus illa ab æterno destinata sunt, Actor 4.28. Eph.1.2.3.4, &c. Pudeat ergo iniusticię eum insimulare, qui est ipsa iusticia, bonitas, &c.

VERSVS II.

Quis autem sustineat diem aduentus eius? aut quis consistat cum apparuerit? Nam ipse quasi ignis conflatoris, & vt smegma fullonum est.

Hic versus habet duo Erotemata, quorum idem sensus est, Neminem videlicet in conspectu Christi Iesu consistere posse, suis videlicet meritis. Stare enim in dei iudicio dicuntur, qui iusti deprehenduntur & declarantur, Psalm.1.5. Econtrà non subsistere, Psal.130.5. dicuntur, qui rei deprehensi conuincuntur. Huius autem ἐλέγχου seu conuictionis exemplum illustrissimum habetur,

in communi illa,de Iudæis & Gentibus,ἀκλήρωσις & sententia: Nã antè criminati sumus Iudæos & Græcos omnes, esse sub peccato. Sicut scriptum est: Non est iustus, ne vnus quidem, Rom.3.9.10. & sequentibus.

Sic autem ab analogia argumentatur Malachias:

Sicut se habent scoriæ,auro argentoúe mistæ,ad ignem conflatoris:& sordes ac maculæ panni,ad smegma fullonum: ita Christo adueniente, sese ad eum habebunt Iudæi & Gentes. Atqui igne conflatoris seu aurificis,aurum liquefieri,et à scorijs seiungi ac perpurgari:smegmate autem adhibito,maculas & sordes à pãno cùm lauatur,abstergi,necesse est.

Idem igitur & vobis Iudæis, de carnis iusticia glorian tibus: & cæteris Gentibus legis naturæ obseruationem sibi tribuentibus, eueniet,cum venerit Christus Iesus,de quo Iohannes Baptista loquens,alia similitudine, idem tamen cum illis duabus significante,vtitur.Matt.3.12. Cuius ventilabrum in manu ipsius, & perpurgabit aream suam:& coget triticum suum in horreum,paleam autem exuret igni inextinguibili.

QVOMODO VERO CHRISTVS IESVS, SCORIAS AB *auro igne conflatorio separando,suam iusticiam declarauit?*

1. Cum discerneret iusticiam carnis à fidei iusticia,ac doceret illam nequaquam salutis caussam esse. Matt.5.20.Dico enim vobis, nisi abundauerit iusticia vestra,plus quàm Scribarum & Pharisæorum,vos nequaquam ingressuros in regnum cœlorum.

2. Cũ iusticiæ carnis præcones & ἐργοδιωκτὰς Pharisæos aliosq́; iniusticiæ & impietatis ac errorum reos peragerer. Matt.7.15. Cauete vobis à Pseudoprophetis,qui veniunt ad vos cum vestimentis ouium,sed intrinsecus sunt lupi rapaces. 16. A'fructibus eorũ agnoscetis eos. Num colligũt ex spinis vuã, aut ex tribulis ficus?

3. Cum suis auctor esset,quemadmodum & Paulus(Gal.2.15.& 16.)loquitur,ut etiam natura Iudæi & non ex Gentib.peccatores, scientes non iustificari hominem ex operib. legis, sed per fidem Iesu Christi: etiam in Christum Iesum eo nomine crederent,ut iustificarentur ex fide Christi, & non ex operibus Legis.

4. Cum euinceret,non esse cum operibus diuinitus præceptis, vel conferendas,nedum eis præferendas, humanas traditiones, καὶ ἐθελοθρησκείας. His enim rationibus eosdem impietatis ac superstitionis reos esse,satis demonstrauit.

QVOMO

QVOMODO AVTEM IDEM FACTO EODEM VIRTVTEM *& potentiam suam ostendit?*

Cum, haud secus atq; igni liquefit aurum, & à scorijs perpurgatur, non solùm fideles ab infidelibus separauit, sed & illorum scorias, id est, peccata, ab eis sustulit. Iuxta dicta: Luc. 12. 52. Erunt enim ex hoc tēpore quinq; in vna domo dissidentes, tres aduersus duos, & duo aduersus tres. 53. Dissidebit pater aduersus filium, & filius aduersus patrem: mater aduersus filiam, & filia aduersus matrem: socrus aduersus nurum suam, & nurus aduersus socrum. Ista dici de dissidijs ob religionem, ex superioribus liquet. Nam in versu 49. eiusdem capitis, de Euangelio, quod per se, pacis inter fideles ὁμονοῦντας, caussa est: κατὰ συμβεβηκὸς aūt dissidij inter fideles & infideles occasio fit, dicitur: Ignē veni missurus in terrā, & quid volo si iam accēsus est? Magnę sanè virtutis est, secernere à fidelibus velut auro, infideles qui sunt coriæ. 1. Ioan. 2. 2. Iesus Christus est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solùm, sed etiam pro totius mundi peccatis. Equidem non nisi diuini iuris & virtutis est, peccata tollere.

Sed, vt pię mentes, ista omnia ad scopus principalem referant, operæ pretium fuerit. Est autem hic scopus, temerè & impudenter Epicuræos illos, dei iusticiam & iudicia in dubiū vocare: cum non solùm in Mundi totius gubernatione, sed etiam in missione Filij, domini nostri Iesu Christi, clarissimè conspiciantur. Quis enim cōflare, secernere, perpurgare homines, iudicij & virtutis dei solius esse, non intelligat?

VERSVS III.

Vt sedet conflans et purgans argentū, ita purgabit filios Leui: defæcans eos velut aurum & argentum, vt sint Iehouæ, qui offerant munus iustè.

Existimo in hoc versu antipophorā esse. Dicebāt sacerdotes Iudæorum, qui mirum quoddam aduentus Messiæ desiderium, simulabant, se non dubitare, vulgus Iudæorum à Messia explorandum, & impietatem ac iniustiā plebis redarguēdam esse ab eodem omnia annunciante, vt loquuta est seculis aliquot pōst Samaritana mulier, Ioan. 4. 25. Sacerdotibus autem, qui & legis cognitione & studio colendi Deum, excellerent, nihil tale metuendum.

Respondet Propheta per ἀντιανακλασιν. Imò verò vos Sacerdotes & vestros collegas Leuitas, præ omnibus alijs, deus Pater misso filio examinabit: vt cõstet, quínam inter vos planè summouendi sint à munere offerendi deo victimas, & quinam eidem præficiendi sint?

Scilicet vt fuluum spectatur in ignibus aurum, & scoriæ aurificis arte separantur ab auro: ita filij dei domini nostri Iesu Christi, virtute & iudicio, filij Leui sinceri et germani ab adulterinis, segregabuntur, vt sint Iehouę qui eidem offerant munus iustè, id est, ex præscripto voluntatis ipsius.

Sæpè autem hac imagine vtitur Spiritus sanctus, cùm de censura & æstimatione hominum loquitur, Zach. 13. 9. Adducam tertiã illam partem per ignem, & conflabo eos, sicut conflatur argentũ & probabo eos, sicut probatur aurum: ipse inuocabit nomẽ meũ, & ego exaudiam eum, dicamq́; Populus meus ipse est, & ipse dicet, Iehouah Deus meus est.

VERSVS IIII.

Lectio 22. 27. Octob. *Et suauis sit Iehouæ munus Iudæ & Ierosolymorum, ut diebus priscis & ut annis antiquis.*

Duo hoc loco obseruabimus. Alterum est, Messiam benedictũ patefactum in carne, effecturum, vt omnes ij, qui sunt regale Dei sacerdotium, sistant corpora sua, hostias viuas, sanctas, acceptas Deo, rationalem illum cultum suum: & ut ne configurentur seculo isti, sed transformentur per renouationem mentium suarum, Rom. 12. 1. 2. Alterum est (si spiritum in Dei cultu, non autem literã spectes) eundem cultum noui Testamenti Ecclesiam Deo præstare, quem eidem olim præstiterunt sancti Patres.

Per ἀνθρωποπάθειαν (metaphora à suaui gratoq́; odore ducta) suaue munus Deo esse dicitur, quod eidem per fidem oblatũ, placet.

Iudæ & Ierosolymorum nomine, per ἀντονομασίαν, vocat omnes fideles, tam ex Gentibus, quàm ex Iudæis.

Discimus autem, summo id vnum studio nobis esse debere, vt Deo debitum gratumq́; cultum, libenter & diligẽter præstemus. Cæterum, ut qui in carne sunt Deo placere non possunt, Rom. 8. 8. sic qui in spiritu sunt, habitante & regnante in eis Dei spiritu, ea faciunt quæ Deo placent. Iuxta hæc dicta: Vt incedatis sicut Domino dignum est, ut per omnia placeatis, omni opere bono fructum proferentes, & crescentes in agnitionem Dei, Col. 1. 10. Itẽ,

Precamur

Precamur per Dominum Iesum, ut sicut accepistis à nobis, quomodo oporteat vos incedere, & placere Deo, magis excellatis, 1. Thess. 4. 1. Item, Et quicquid petierimus, accipimus ab eo, quoniā præcepta eius custodiamus: & ea quæ ipsi placent, facimus, 1. Ioan. 3. 22.

Intuentur autem sancti exemplum Filij Dei, qui de suo ipsius studio Deo Patri placendi, grauissimè dixit: Nam qui me misit, mecum est. non reliquit me solum Pater, quia quæ placita sunt ei facio semper, Ioan. 8. 29.

Vtinam verò, eius mandatu & exemplo excitati & edocti, nunquam nō offeramus Deo, θυσίαν ζῶσαν, hoc est, nosmetipsos totos: & per ipsum assiduè offeramus Deo sacrificium laudis, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius, nec vnquam beneficētiæ & communicationis obliuiscamur: cum talibus victimis delectetur Deus, Hebr. 13. 15 16.

Sed enim ut hæc à iuniorib. memoriæ mandari possint, Aphorismis aliquot omnia ferè perstringam.

1. Vt vnus idemq; vtriusq; fœderis Populi, Deus est: sic etiam vna eademq; eiusdē Dei spiritu veritateq; colēdi, ratio fuit & est.
2. Ceremonialis aūt cultus diuersis Ecclesiæ ætatibus accommodatus est, optimo sanè Dei consilio.
3. Spiritus cultū ij solū Deo præstant, qui spiritu eius ducūtur.
4. Literæ autem cultu, omnes etiam alij, qui in externa Ecclesiæ societate versantur, defungi possunt.
5. Illi solùm Deo placent, qui Spiritus cultum ei probant.
6. Insistunt enim vestigijs Christi, qui ea quæ Patri placent, faciti studiosissimè.
7. Victimæ fidelium in noui Testamenti Ecclesia, offerūtur, vel ipsi Deo, ut gratiarum actio: vel Dei caussa proximo, vt beneficentiæ fructus. De posteriore inquit Paulus: Accepi aūt omnia, & abundo: expletus sum, inquam, acceptis ab Epaphrodito, quæ à vobis missa fuerant, odore bonæ fragrantiæ, hostia Deo accepta & grata, Phil. 4. 18.

VERSVS V.

Accedam autem ad vos in iudicium, & ero testis festinantissimus, contra præstigiatores & contra adulteros, & contra iurantes falsò, & contra oppressione detinentes mercedem

Mercenarij, viduam & pupillum ac peregrinum peruertentes, neq; timentes mei, ait Iehouah exercituum.

Sic argumentatur Iehouæ exercituum Legatus Malachias.

Non est Reorum, quibus propediem apud iustissimi Iudicis tribunal certò comparendum & capitis caussa diceda, pœnæq; quas promeriti sunt subeundæ & aduersus Iudicem κύνεσπάδωνον actionem instituere, eumque inæqualitatis & iniustitiæ insimulare. Neq; enim hæc conscelerata audacia culpam minuit, sed auget.

Vobis verò, ô Iudæi, non multo pòst, deo è cœlo patefaciente irã nemesinque suam aduersus vestram impietatem & iniusticiam, coram illius tribunali erit comparendum, sententia Iudicis audienda. Huius Minoris pulcerrima ὑφγασία est, cuius capita breuiter recitabo.

1. Denũciatio iudicij ineuitabilis. Deo enim accedente ad iudicium, nemo eorum quos ipsi iudicare visum est, illud declinare potest. Iudicium humanum euitari nonnunquam potest, vt de Alcibiade, Athenas ad capitis caussam dicendam euocato, & fuga sibi consulente, scribit Plutarchus. Sed dei iudicis conspectum & imperium, nemo euitare potest.

2. Iudicis & Testis summi & iustissimi & omniscij, descriptio. Solus Iehouah is est, qui iure agere potest & iudicem & Testem.

3. Enumeratio sceleratorum hominum & scelerum quę illi perpetrauerant, & quorum caussa rei peragendi ac meritis pœnis afficiendi erant.

Primi sunt præstigiatores, hoc est, Magi & qui eos consulebant, contra legem, Deut.18.10. Non inuenietur in te qui transire faciat filium suum aut filiam suam per ignem: diuinans diuinationes, præstigiator, augur, & maleficus, 11. Neque incantator, neq; interrogans Pythone, neq; Magus, neq; quęrens à mortuis. 12. Abominatio enim Iehouæ est, quicunq; facit hæc, & propter abominationes illas eijcit deus Gentes illas à facie tua.

Secundi sunt, Adulteri, id est, omnes impuri homines, transgressores præcepti, Non mœchator: & legũ quæ extant Leuit.18.

Tertij sunt, iurantes falsò, hoc est trãgressores tertij & noui pręcepti Decalogi: fidem, sanctissimè Iehouæ nomine inuocato, cõtestatã, scelerarè violãtes & ludibrio habentes. In horum numero apud Ethnicos fuit Lysander Lacedæmonius, qui dicere solebat,

lebat, Pueros quidem Astragilis, viros autem iureiurando fallendos esse.

Quarti sunt, Opresſione detinentes mercedem Mercenarij, id est, homines πλεονεκτικοί, qui nequaquam suum cuique reddunt, sed violant præceptum: Non furtum facies. De his extat ἀδήλου auctoris distichon:

Clamitat ad cœlum, vox sanguinis & Sodomorum:
Vox oppressorum, merces detenta laborum.

Quinti erát, illis cognati, peruersores iuris viduarum, pupillorum & peregrinorum.

In fine γενικῶς addit Propheta: & omnes dei non timentes. Horum plurimi sunt, ac ex superioribus multi omnibus illis sceleribus Deum offenderant. Meminerimus autem ista non solùm συνεκδοχικῶς dicta esse, sed etiam eò adduci, vt documenta peccatorum pugnantium cum secunda Tabula Decalogi, argumenta essent trangresſionis primæ Tabulæ.

4. Confirmatio, omnium superiorum, ducta ab auctoritiate diuina, quæ summa & sacrosancta & planè irrefragabilis est. Ait Iehouah exercituum.

Ex his præmisſis, per ἀντίστροφον, colligit propheta, Epicureos illos vitilitigatores, propediè magno suo malo cognituros, deum esse mundi sapientisſimum Iudicem, &c.

VERSVS VI.

Quia ego Iehouah non mutor: ideo vos filij Iacob non consumti estis.

Diluit obiectionem Sophisticam, Epicureorum illorum, qui se iniuriâ tot scelerum insimulari & traduci, querebantur.

Si tot flagitiosis operibus, testatam fecissemus impietatẽ, & in ea proteruiam & contumaciam, tum verò iam pridem à deo, qui ignis consumens est, absumti fuissemus.

Atqui adhuc incolumes superstitesq́; sumus

Fit igitur nobis iniuria, illa grauisſima contestatione, de præstigijs, de impuritate vitæ, de iniusticia, de tyrannide erga afflictos, &c. Hanc obiectionẽ δεῖ ὑποτίθεσθαι, & ex dilutione colligere.

Respondet Propheta, ad paralogismum illum secundum non caussam, vt caussam. Immô verò non vestra integritas, quæ nulla est, in caussa est, quòd non estis consumti: sed Dei na-

tura. Est enim is misericors, lõgaminis, tardus ad iram & memor promissorũ. Ideo hactenus vos ἐτροποφόρησεν, id est, mores vestros tulit, vt pœnitentiæ agendæ locus vobis esset, & vt promissiones suas summa fide adimpleret, conseruando Iudaicum populum, è quo nasciturus & proditurus est Messias benedictus. Et hæc quidem de actione tertia, διὰ βραχέων, dicere potui.

VERSVS VII.

Lectio 23. *Inde vsq; à diebus Maiorum vestrorum recessistis à statutis*
14. Nouẽb. *meis, neq; obseruastis: Reuertimini ad me, & reuertar ad vos, ait Iehouah exercituum: Sed dicitis, qua in re reuertemur?*

Hîc orditur Propheta Actionem quartam, de Sacrilegio, quod vulgus Iudæorum committebat, in re decimaria, in primitijs & alijs διαλάκτροις, quæ dolosè intercipiebãtur à profana & suo quæstui intenta, & secundum illud vetus prouerbium, Chœnici insidente multitudine.

Initiò autem actionis huius œconomiam ὡς ἐν τύπῳ proponam, versus 7 habet Exordium, in quo thesin de violatione Statutorum diuinorum, Propheta noster tractat. Vers. 8. Propositio de sacrilegij crimine, tradita est. Vers. 9. Confirmatio à Maledictione ducta occurrit. Vers. 10. 11. 12. ἐργασία est confirmationis, à contrario videlicet à Benedictione, cuius spem facit deus ijs omnibus, qui bona fide legi, de decimis, de primitijs, & de alijs, quæ ad sacri ministerij conseruationem pertinent, satisfecissent. Quomodo verò hæc tota Actio ad Ecclesiarum nostrarum vsum transferri debeat, perspicuè docuit Apostolus noster, Gal. 6. 6. Communicet autem qui instituitur in sermone, ei qui se instituit, omnia bona: 7. Ne seducimini: deus non irridetur. quicquid enim seminauerit homo, hoc & metet. Et in bona parte cap. 9. primæ Epistolæ ad Corinthios, idem docet Apostolus.

In versu septimo docendi caussa Thesim primò, deinde eiusdẽ κατασκευὴν, indicabimus.

Thesis est, vos verò, ô Iudæi, maiorum vestrorũ qui legis transgressores erant, vestigijs insistentes, recessistis ab obseruatione diuinorum Statutorum.

In hac Thesi obseruetur Amplificatio, neq; enim eius tantùm ætatis, qua vixit & docuit Malachias, Iudæi: sed etiã multi ex eo-

rum

rum Maioribus, consueuerant circa decimas πλεονεκτεῖν: nulla legis diuinæ ratione habita.

Ἀνασκευή, seu comprobatio Theseos hæc est: Trangressores diuinorum Statutorum, pro sua ἀναισχυντίᾳ, seu impudentia, non dubitant negare, sibi vlla ad deū conuersione opus esse, cum à deo neutiquam sibi auersi videâtur. Impius enim cum in profundum peccatorum venit, non curat, nec vlla exhortatione aut reprehēsione sese ad frugem meliorem esse reuocandum, censet.

Vos Iudæi, diuina voce de resipiscentia admoniti, perfricta fronte & impudenti ore dicitis: Qua in re reuertemur? An non sumus legis obseruantissimi?

Certum itaq; est statutorum diuinorum, vos esse trāsgressores. Cæterum vt maximè quispiam det hîc agi, non tam mortalis legis, quàm de legum quarundam Politicarum et Ceremonialium, transgressione, quia tamen hæc in contumeliam dei legislatoris quoq; redundabat, et fraudi erat Ministerio Ecclesię Veteris testamenti, plurimum in eo mali erat.

QVID ITA? DICET ALIQVIS. CVM HAEC IVDAEORVM *fraus, Sacerdotum & Leuitarum qui officium non faciebant fide bona, iusta pœna fuerit?*

Respondeo, Pluris pijs omnibus id faciendum esse, quod ad conseruationem Ordinis Ecclesiastici, deo visum est præscribere: quàm imaginatione euanidā de pœna, qua Mercenarij illi digni videri possunt. Et vt maximè aliquis det, tum temporis plerosq; Sacerdotes pessimos fuisse, & indignos ἀδιαλάκτροις, quis tamē dubitet, ad pios quoq; eandem calamitatem redijsse, quorum sortem meliorem esse oportebat.

Cæterum vt quantum sacrilegio illo mali fuerit, piæ mentes videant, nonnulla κεφαλαιωδῶς addam.

1. Violatio & contemtus legis diuinæ de ἀδιαλάκτροις, pariebat cōtemtum & neglectionem etiam aliorum præceptorum & statutorum politicorum & aliorum.

2. Parentes fraudem exercentes circa decimas, non solùm suæ ætatis hominibus, debitos prouentus subtrahebant: sed etiam exemplo posteris nocebant plurimùm.

3. Filij vitia & scelera patrum imitantes, malorum coruorū mala oua sese esse testabantur: & ipsis factis naturam πλεονεκτικὴν prodebant.

4. Hac etiam ratione augebantur odia & simultates, inter docentes & discentes in Ecclesia. Nam illis dolebat impostura quam patiebantur: hi malè sibi conscij, præiudicijs de indignitate Sacerdotum, de illorum opibus & delitijs, grauiter item peccabant. Sed hæc aliàs pluribus explicanda erunt.

VERSVS VIII.

An spoliet homo Deum, quòd vos spoliatis me? Et dicitis, Qua in re spoliamus te? Decimis & oblatione.

Hæc propositio est, de Sacrilegio, cuius Iudæi rei erant. Erotemate autem vtitur, ad amplificandã rei indignitatem. Deus fons perennis est omnis boni, in totum genus humanum vbertim redundantis. Quæ, malum, ergo impietas est eundem, qui se nunquam passus est expertem esse testimonij, dum nobis benefacit, dans nobis cœlitùs pluuias ac tempora fructifera, & implet corda nostra cibo & lætitia, Act. 14. 17. qui etiam benedicit nobis omni benedictiõe spirituali, in cœlis in Christo, Eph. 1. 3. deniq; à quo est omne munus bonum & perfectum, Iac. 1. 17. eum, inquam, spoliare velle?

Illustrabitur Erotema, si quis cogitabit, eadem opera & rei indignitatem amplificari, & Antypophora dilui hoc Sophisma. Iniuria, quæ fit improbis & officium non facientibus hominibus, non redundat in Deũ, qui est αὐτάρκης, sacer & inuiolabilis. Atqui subtractio Decimarum & oblationum, flagitiosis illis sacerdotib. solùm, (dignis videlicet odio publico, non autẽ beneficentia piorum) fraudi est. Quare nihil illa ad Deum, &c. Respondet Dominus per inficiationem, Negat enim ad sese non spectare ordinis à se instituti perturbationem, pugnãtem cum expressa sua lege, & etiam innocentibus noxiam. Est autem & ἀνταγώνισμα hoc loco, Qui sacrorum Ministros spoliant, Deum spoliant. Vos Iudæi illud facitis. Ergo Deum ipsum quantum quidẽ in vobis est, spoliatis. Maior ex eo liquet, quòd quæcunque ex præscripto diuinę Legis, Ecclesiæ Ministris dantur, Dei nomine dantur, & hoc vno subministrante dari possunt: ea verò quæ subtrahuntur, cõtra Dei expressum mandatum subtrahuntur, eoq; loco habentur, ac si homo πλεονέκτης seu auarus, ius plenũ in ea haberet, ac non tam Dei voluntatem, quàm suam libidinem, in eorum dispensatione, sequi posset.

Neq; verò est cur quis obijciat, Mercenarios, seruiẽtes ventri, non

non gloriæ Dei, indignos esse beneficentia Ecclesiæ, cũ loca tantùm Sanctorum obtineant: nõ autem vita, moribus, & doctrina, studioq; diuini cultus, eos referant. Non enim ullorum hominũ improbitas, tollit legem diuinam, aut ordinem agendi authoritate diuina sancitum, abolet: aut deniq; pijs Ministris (qui Deo Ecclesias lugentes respiciente, illis fucis interdum succedunt) præiudicio & fraudi esse potest.

Erotemati subiungit dominus, impudentem Iudæorũ inficiationem. Et dicitis, Qua in re spoliamus te? Quasi dicant, nulla plane. Neq; solùm, in hac inficiatione, τὸ ἀδυνατον, seu impossibile respiciunt, videlicet persuasi Deo nihil à mortali homine subtrahi posse: sed etiam tacitè sua merita & beneficia, Deo præstita, arroganter allegãt, sibiq; qui hactenus tam fuissent in Deum officiosi, non leuem hac accusatione iniuriam fieri significabant. Videtis quam fuerint Vertumni isti peruersè ingeniosi in comminiscẽdis Sophismatis, quibus & seipsos ornarent & Deum obliquè accusarent?

Vt ergo impudentem inficiationem refutaret dominus, Minoris (αὐταγωνιστής illius) confirmandæ gratia, ἀλλὰ συνεκδοχικῶν, addit: Decimis & Oblatione. Quid sibi velit, ex hac Nehemiæ Ducis narratione liquet: cognoui præterea, quòd partes Leuitarum non fuissent datę: quodq; fugissent singuli in agrum suũ, Leuitæ & Cãtores faciẽtes opus. Propterea increpaui Magistratus, ac dixi: Cur derelicta est domus Dei? congregaui itaq; eos, & statui illos in locũ suum. Et vniuersus Iehudah attulerũt decimam frumenti, vini & olei in thesauros. Neh. 13. 10. 11. 12, &c.

ἀνάβασις AD THESIN.

1. Si quæcunq; docentibus in Ecclesia dantur, deo, cuius illi serui sunt, dantur: consequens est, ea quæ illis fraudulenter subtrahuntur, deo subtrahi.

2. Quantum autem boni est, in vera erga piè docentes beneficẽtia & humanitate: tantum etiam mali est, ingratitudine & inhumanitate quæ erga eosdem illos declarant.

3. Eadem autem sententia est, & de pijs iuuenibus, qui ideo S. Theologiæ operam dant, vt Ecclesiæ Ministerio vocati, olim defungantur. Nam & hi munificentia Ecclesiæ & piorum Magistratuum, iuuandi sunt: vt valetudini consulere possint, & vt ne egestate auocentur à studijs sacris.

4. Pauperibus etiã debita ſubſidia, dei nomine, ſumma fide ſunt ſubminiſtranda, hilari corde & larga manu.

5. Qui illos omnes, de quibus breuiter diximus, ſpoliat, deũ zelotem ſpoliat: quem etiam, ni reſipiſcat, experietur eſſe ignem conſumentem, vt Scriptura loquitur.

VERSVS IX.

Maledictione eſtis maledicti, eo quòd me ſpoliatis, gens ipſa tota.

Suprà dixi hanc eſſe confirmationem Propoſitionis de Iudæorum ſacrilegio: de quo & Paulus, ὁ βδελυσσόμενος τὰ εἴδωλα, ἱεροσυλεῖς: Qui execraris idola, ſacrilegium committis? Rom. 2. 22.

Conſtat autem illa hac Demonſtratione. Certiſsimum eſt Maledictionem diuinam, incumbentem ceruicibus totius alicuius gentis, eſſe argumentum ἀναντίῤῥητον trãſgreſsionis & violationis legis diuinæ. Deut. 28. Certum & illud eſt, Deum ſubtrahere benedictionem temporalem ijs, qui immemores ſunt legis huius: Plenitudinem tuam & lacrymam tuam non tardabis offerre: Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. Sic facies de boue tuo, & de pecore tuo: ſeptem dies erũt cum matre ſua, die autem octauo dabis mihi, Exod. 22. 29. 30.

Ipſa autem experientia vos, ô Iudæi, conuincit, vt fateri cogamini, totam veſtram gentem horribili maledictione oppreſſam laborare.

Ex effectu itaq; antegreſſam cauſſam, videlicet præuaricationem diuinorum præceptorum, & inter hæc omnia, præcepti περὶ τῶν δεκατῶν, vos colligere æquum eſt.

Repetit aũt id, quod antea dixerat, videlicet, Iudæos, decimas & oblationes doloſè ſacerdotibus ſubtrahentes, Deum ipſum ſpoliare: ut doceat magno ſuo ſcelere, maledictionis pœnam eſſe promeritos.

VERSVS X.

Afferte omnes decimas in Theſaurum (id eſt, in locum theſauri, Nehem. 13. 12.) vt ſit cibus in domo mea: et probate iam me in hoc, ait Iehouah exercituum: ſi non aperuero vobis cataractas cœlorum, et proferam vobis benedictionem, adeò vt non ſufficiatis.

Ἐργασία Confirmationis ducitur à contrarijs. Sicut deus decimas furtim ſubtrahentibus, hactenus maledixit: ita idẽ vobis decimas

cimas bona fide posthac reddentibus, vbertim benedicet.

Constat versus 10, mandato primùm, deinde promissione.

Mandatum, circumstantias complectitur, de quibus breuiter postea dicam, vbi prius legem de decimis recitauero. Leuit. 27. 30. Omnes autem decimæ terræ, siue de semine terræ, siue de fructu arborum, Iehouæ sunt (hinc linquet decimarum fures, deum spoliare.) sanctitas Iehouę. 31. Si verò redimēdo redemerit vir aliquid de decimis suis, quintam eius partem addet vltra eam. 32. Et omnis decima boum & ouium, omnium nempe quæ transeunt sub virga, decima inquam pars erit sanctitas Iehouæ. 33. Non disquiret virum bonum an malum, neq; permutabit illud: quòd si commutando commutauerit ipsum, erit tam hoc quàm illud quod commutatum est, erit inquam sanctificatio, non redimetur.

Circumstantiæ autem, quarum Propheta meminit, hæ sunt:

1. Omnes decimas bona fide reddendas.
2. In domum Thesauri conuehendas.
3. Eo consilio vt sit cibus in domo Iehouæ, id est, vt præstò sint & oblationes, & alimenta Sacerdotum & Leuitarum.

Promissionis hæc summa est. Benedicet deus vbertim, decimas bona fide reddentibus. Est autem iurisiurandi religione confirmata promissio. Oratio ecliptica sic complebitur, Non sim aut habear deus verax, si non vobis larga manu cœlitùs benefecero. Phrasis de cataractis cœli illustrabitur duobus dictis, quæ subiungam.

2. Reg. 7. 2. Si Iehouah faceret fenestras in cœlo num esset hoc? Et respondit Elisa, En videbis oculis tuis, sed eo non comedes. Act. 14. 17. Deus non passus est se esse expertem testimonij, nobis benefaciendo, dans nobis cœlitùs pluuias ac tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra.

Neque verò deum tentassent Iudæi, si diuinitùs admoniti, decimas quamprimum bona fide exhibuissent Sacerdotibus, ac sibi polliciti essent redundantiam diuinæ benedictionis. Habet enim pietas etiam præsentis vitæ promissiones.

Vtinā verò hoc, pestis, in hac vrbe serpentis, & nunc hunc, nunc illum è medio tollentis, tempore, ad Dominum Deum nostrum toto corde cōuersi, eiq; supplices facti, probemus deum in hac re longè maxima. Reipsa enim conuicti intelligeremus, manū Dei & eius ferulam quamprimum remittere, & mitigatis nostris æ-

rumnis, erumperemus in gratiarum actionem & laudem liberatoris Dei. Qui enim Niniuitis resipiscētibus olim pepercit, idem & nobis ad se conuersis, parcere est paratus. Nō enim morte peccatorum delectatur: sed vult ut conuertantur & viuant.

Adeò ut non sufficiatis) Deest aliquid, quod suppleri poterit hoc pacto. Tanta erit frugum copia, tanta vini, olei, mellis & aliorum liquorum redundantia, ut vix integrum sit, annos prouentus reponere & recondere. Iuxta promissionem, Leuitici, cap. 26. 10. Et comedetis vetus inueteratum, & vetus propter nouum educetis.

VERSVS XI.

Et increpabo vestri caussa exedentem (sic vocat γενικῶς omnia, quæ terræ arborumq́ fructus absumunt) vt non corrumpat vobis fructum terræ, neq́ orbet vos vitis in agro, ait Iehoua exercituum.

Sententia est, Hactenus mandatu meo, exedens (id est, vis tempestatum aduersarum) vineas & agros vestros sic vastauit, ut exigui essent annui prouentus, & ut vobis laborandū esset penuria τῶν βιωτικῶν, hoc est, vitæ huius adminiculorum, quæ panis quotidianus vocantur: sed posthac, decimas dantes & legi meæ obsecundantes, potiemini vberrimis prouentibus, agrorum, vinearum, arborum.

Discimus autem hoc loco, Deum sic moderari Tempestates, ut seruiant ipsius benedictioni & maledictioni. Notam est illud Amos, cap. 4. 7. Sed & ego prohibui à vobis imbrem, quum adhuc essent tres menses vsq; ad messem: & pluere feci super ciuitatem vnam, & super ciuitatem alterā non feci pluere, fundus vnus cōplutus fuit, fundus aūt super quē non pluit, aruit. 8. Et proficiscebantur duæ tresue ciuitates ad ciuitatē illā super quā pluere feceram, ut biberent aquā, & non satiabantur: nō tamen reuersi estis usque ad me, dixit Iehouah. 9. Percussi vos ariditate & rubigine multiplices hortos vestros, & vineas vestras, & ficeta vestra & olíueta vestra comedit eruca, nec tamē redijstis usq; ad me, dixit Iehouah. Ex hoc oraculo & similibus, colligimus, vanam esse quorundam opinionem, qui Lamias & Striges, grandinem, tonitru, fulgura, eluuiones excitare posse, putātes, hanc potissimū ob caussam in illas sæuiunt: cū apostasiæ & veneficij caussa, cōuictæ, puniēdę sint secundū leges. Sed de hac re nūc quidē non licet pluribus agere.

VERSVS XII.

Itaq; beatos prædicabunt vos omnes Gentes, quia eritis terra oblectationis, ait Iehouah exercituum.

Eritis terra oblectationis) Synecdoche est. Sumitur enim continens, id est, Iudæa, pro contento, seu pro incolis. Terra autem frugifera & amœna, oblectationis terra vocatur, ab effectu, quod incolis nõ solùm affatim subministret omnis generis fructus, ad vitã tuẽdam necessarios, sed etiã amœnitate sua mirificè eosdẽ exhilaret.

Agitur autem hîc de Consequente, seu de Gentium vicinarum iudicio de Iudæis, à deo benedictione cœli terræque instructis & exornatis. Sic autem argumentatur:

Quis sanus & intelligens illud sibi faciendum dubitet, quòd si fiat, certò consequitur vera gloria: vt corpus vmbra.

Atqui si vos Iudæi oblationes καὶ τὰ διδακτέα bona fide exsolueritis, benedicet vobis deus: ac vicinæ Gentes vos multis nominibus fortunatos esse, iudicabunt & celebrabunt.

Quare bona fide, ea omnia, quæ ad dei cultum & ad Sacerdotũ & Leuitarum sustentationem faciunt, subministranda sunt: nec quisquam fraudandus.

VERSVS XIII.

Inualuerunt contra me verba vestra, ait Iehouah: Sed dicitis, Quid obloquuti sumus contra te?

Hîc orditur Dominus actionem postremam, quæ est ordine quinta: in qua Atheismi reos peragit Iudæos.

Illustrabitur autem versus istius sententia, si cogitauerimus, Impios homines, alios quidem factis, sed non verbis, ἀθεότητα profiteri: sicut testatur Paulus, Tit. 1. 16. deum profitentur se scire, sed factis negant, quum sint abominandi & rebelles, & ad omne opus bonum reprobi: alios autem & verbis & factis impietatem suam testari, & prodere. Vt Caius Caligula, pro deo se haberi & coli voluit: gratulatus est sibi ἀδιατρεψίαν, seu impudentiam: dicere solitus est, aut Cæsarem aut frugi hominem esse oportet: vt est apud Suetonium.

De prioribus autem dominus, cui negocium erat cum Iudæorum gente, hoc loco pronunciat.

Perdifficile autem fuerit, vtri sint deteriores, pronunciare. Si

quis tamen ista duo perpẽdet, primum, Seruum qui nouit voluntatem Domini sui, nec eam facit pluribus plagis, ut deteriorem, puniendum: alterum, rectè ab Aristotele dictum: ἀδικώτεροι, οἱ ἐπιβουλότεροι: non obscurè videbit, priores illos, qui in censu populi Dei haberi volunt, multò esse posterioribus istis, deteriores, propter has caussas,

1. Quia sunt maculæ & labes populi Dei.
2. Quia de lege gloriantur, & per Legis transgressionem Deum dedecorant, Rom. 2. 23.
3. Quia impudenter negant, se Deo obloqui. Quasi verò in Deũ non sit contumeliosus & iniurius, qui factis ei obloquens, pergit θεομαχεῖν, etiamsi labijs & ore eundem colat?

Impudentem autem inficiationem Iudæorum, refutat Dominus duobus sequentibus versibus, quos subiungam.

VERSUS XIIII.

Dixistis, vanum est colere Deum, & quod lucrum erit, si obseruauerimus obseruationem eius: cum ambulauerimus atratè metu Iehouæ exercituum?

VERSUS XV.

Immò nunc felices prædicamus: Superbos etiam ædificantur (id est, emergunt & tolluntur in altum, potiuntur magnis opibus, &c.) qui faciunt improbitatem, & qui probant (id est, tentant deum, & in dubium vocant eius bonitatem & omnipotentiam: vt Psal. 95. 9. In quo tentauerunt me Patres vestri, probauerunt: etiamsi viderunt opus meum) Deum, liberantur, id est, euadunt è periculis, potiuntur rebus optatis.

Deo ipsi obloquuntur, & Atheismum impudenter asserũt, qui negant Pietati sua esse præmia, impietatem autem tandem à deo grauissimè puniri.

Atqui, ò Iudæi, vos in ea ipsa hæresi estis: & eandem perfricta fronte profitemini.

Deo igitur obloquimini, & ἀθεισμῷ vestro patrocinamini.

Minorem duobus illis versibus, persequitur & probat deus, & quidem ita vt Iudæorum conscientias cõtestetur, & ἀναπολογήτους, seu inexcusabiles esse, conuincat.

Etsi

Etsi autem nonnulla in tristi illo catalogo repetuntur: vt tamen rerum magnitudo innotescat, ordinè de singulis agemus.

DICEBANT ILLI θεοστυγεῖς, SEV DEI OSORES.

I. Vanum esse deum colere, id est, operâ eos perdere, qui deum coleret. Impiam autem hanc persuasionē, hoc Sophismate (cuius fons est opinio falsissima, quæ fingit πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν, pietatem esse quæstum, 1. Tim. 6. 5.) ceu fuco pingere solebant.

Si non vanus & inanis esset Dei cultus, tum verò lucrum aliquod ad eius cultores rediret. Atqui dispendium potius, quàm lucrū ad eos redit, qui obseruāt obseruationes (id est, instituta & sanctiones de cultu) dei: & qui pullati incedunt metu Iehouæ, vt pœnitentiā sese agere ipso habitu testentur. Erat autē pulla vestis, symbolū luctus & humiliationis sub potēti manu dei. Psal. 35. 14. Pullatus humiliabam me. Itaq; vanum est deum colere.

Videmus in hoc Sophismate,

1. Impios istos literæ cultu contentos, spiritus cultum omninò ignorare.
2. Mercenaria opera defungi, cum deum colunt.
3. Quæstum suum, non dei gloriam, semper & in omnibus venari.
4. Non animaduertere ἀθέους istos se pœna, non præmijs dignos esse, vt qui fremitum aduersus deum, cum deprauatione cultus ipsius, qua ille contumelia summa afficitur, coniungant.
5. Præmia, quæ deus spiritu se colētibus gratis pollicetur & præstat sibi, qui ceremonialem tantum cultum ei præstant, deberi, palàm & perfrictà fronte gloriari.

II. Superbos (sic vocat Epicureos illos dei contemtores, quos Paulus ait, φιλαύτους μᾶλλον ἢ φιλοθέους, esse. 2. Tim. 3. 4.) meritò felices esse prædicandos & habendos. Hanc impudentē ἀντιλογίαν aduersus deum, tali Sophismate probare vtebantur.

Quis dubitet eos dicere terq; quaterq; fortunatos, qui ædificantur, & liberantur: hoc est, magnifici & splendidissimi cuiusdā ædificij instar, indies assurgunt, & in honorum quoddam fastigium subuehuntur: liberantur etiam ex ærūnarum & difficultatum humanarum, veluti quibusdam tricis: & sunt ἔξω βελῶν: vt habet Prouerbium.

Atqui Superbi illi Numinis contemtores, ædificantur & liberantur.

Superbos autē & esse & dici debere, ex eo colligit, quòd & improbitatem facere, hoc est, ἀμαρτάνειν, seu peccatum committere: & Deum ipsum tentare, nulla illis est religio. Neque verò ulla maior superbia esse potest, quàm si quis perfricta fronte, velut artem quandam peccandi profiteri & exercere ausit: nec etiam dubitet, dei bonitatem, iustitiam, prouidentiam in dubium vocare, aut omnino negare.

Graphicè autem eiusmodi Thrasones descripsit. Dauid Psalmo, 10. 2. Præ superbia impius persequitur pauperem: capiantur in cogitationibus quas cogitāt. 3. Quoniā laudat se impius super desiderio animæ suæ, & auaro benedicet, & irasci facit Iehouam. 4. Impius propter superbiā quam facie præ se fert, nō quærit deū, nec est deus in omnibus cogitationibus eius. 5. Dolore afficiunt viæ eius omni tēpore: in altitudine sunt iudicia tuę à facie eius: in omnes hostes suos sufflat. 6. Dicit in corde suo, Non mouebor à generatione in generationem, quia (euenit illi) malum.

Et Psal. 83. Zelaui in insanos cum pacem impiorum viderē: per totum autem Psalmum, Propheta primùm, bona quæ impij in hac vita nonnunquam accipiunt: deinde, quàm sit tragicus eorum exitus, & quæ pœnæ sequantur caducam illorum prosperitatem, indicat.

Sunt igitur modis omnibus felices Impij isti homines. Hæ sunt stolidæ imaginationes eorum hominum, qui cocta numerantes exta, à temperario euentu prospero, qui dementes potius quàm felices facit, colligunt perpetuam εὐδαιμονίαν, & eam ridicula spe (quam prudenter cum Aristotele, vigilantis somnium esse dixeris.) sibi despondent.

VERSVS XVI.

Tunc timentes Iehouæ, qui frequenter prædicant alter apud alterum, dicentes: Enimuerò attendit Iehouah & audit, atque cōscriptum est in libro commentarij coram eo pro timentibus Iehouæ, & cogitantibus de nomine eius.

Hoc loco orditur Dominus, ἀνασκευὴν & confutationē Atheismi, & Epicureorū commentorum, de ignorātia dei, de neglectione rerum humanarum, de felicitate improborum, deq; ærumnis perpetuis Piorum & similibus.

Introducit autem Pios magno consensu, & dulcissima τῇ παναρμονίᾳ

φωνίας, nunquam non testimonium perhibentes Iehouæ deo ipsorum, hoc illustri & euidentissimo Syllogismo apodictico.

Quicunq; non solum optimè nouit quinam pij sint, & qui impij, sed etiam accuratam vtrorumq; censuram agit, & cultum sibi præstitū, aut non præstitum, dijudicat, suamq; sententiam tandem exequitur: de eo certè dici nō potest, quòd improbis & superbis delectetur: pios autem cultores negligat.

Atqui Iehouah attendit (est enim πανὸπτης ἔφορος) & audit (sunt enim intētæ aures eius ad clamorem iustorum: sicut oculi eius super Iustos. Psal. 34. 16.) atq; cōscriptum est in libro commētarij coram eo, (ἀνθρωποπαθῶς istud dicitur, Est. 6. 1.) pro timentibus Iehouæ, & cogitantibus de nomine eius, id est, agnoscentibus deum esse mentem iustam, castam, bonam, misericordem, ac debitum cultum per fidem ei præstantibus benefacere. Nihil autem dubium est eidem intus & in cute notos esse superbos ἀθέους, & eorum scelera: ac seruo illū detestari impios homines & eorum impietatē & iniusticiam: ac grauissimo dei iudicio discerni dei cultores, ab eiusdem contemtoribus & hostibus.

Non igitur superbis delectatur Iehouah, nec humiles suos seruos despicit aut negligit.

VERSVS XVII.

Hi erunt mei, ait Iehouah exercituum: quo die ego confecturus sum peculium: & clementia vtar erga ipsos, quemadmodum quis vtitur clementia erga filium suum qui colit ipsum. Lectio 25. 17. Noueb.

Probatio est Minoris in præcedente demōstratione, ducta à segregatione Sanctorum & Profanorum hominum, quam deus in die iusti iudicij sui exequetur. Videmus autem deum ipsum, piorum sententiam, de eius erga se beneuolentia, comprobare. Obseruent ergo pij iuuenes caussas τοῦ ἀφορισμοῦ, de quo ideò hîc agitur, vt Epicurea imaginatio, quæ fingit perinde esse siue quis deum colat, siue non colat, refutetur.

1. Αἴτιον ἀνὰγκαῖον est Iehouah exercituum, qui cum vniuersa propter semetipsum cōdiderit, plenū ius habet de omnibus id quod ipsi visum est statuendi: cùm & dominus omnium sit, & ipsius voluntas summè iusta & bona sit.

2. Προηγουμένη in deo, est clemētia eius erga electos: Iusticia & seueritas ac potentia erga vasa iræ. Rom. 9. 22. & 11. 22.

3. Forma est, Vasorum gratiæ, seu Electorum, (qui à Propheta nostro, Timentes deum & cogitantes de nomine eius, πιειφραγμικῶς ab effectu & affectu nuncupantur) segregatio in peculium. Quos enim elegit deus, eos vocando sanctificat de mundo, iustificando absoluit à peccatis, regenerando renouat, vt ad Dei gloriam eius sint peculium.

4. In fine addita est imago dulcissima. Sicut se habet pater ad filiũ qui ipsum vnicè colit, ita se habet deus ad suos cultores. Atqui pater filium morigerum summa clementia & φιλοστοργίᾳ prosequitur, & germanum filium esse agnoscit. Ita igitur & deus erga pios affectus est.

Iam verò & venustissimum argumentum ἀπλογισμῷ quo Syllogismi lemma minus, confirmatur, addam:

Peculium illud sacrosanctum totius Ecclesiæ dei confici non potest, nisi Iehouah exercituum, non solùm attendat de cœlo & audiat vota seruorum suorum, verumetiam eos (perinde vt pastor oues ἀφορίζει separat, ab hœdis, Matt. 25.32.) seiungat à profanis hominibus, quos deus pro suis non habet. Matt. 7.23.

Atqui Iehouah tale peculium conficiet, quod ex solis fidelibus constabit, quos ideò nouisse dicitur, quia eosdem pro suis domesticis habet. 2. Tim. 2.19. Nouit dominus qui sint sui.

Meminerint autem pij, hîc de executione segregationis illius agi, quæ differtur in diem ἀποκαλύψεως, de quo Paulus Apostolus inquit, in die quo iudicabit Dominus de occultis hominũ, ex Euãgelio meo, per Iesum Christum, Rom. 2.16. Segregat quidem deus etiam in hac vita fideles ab infidelibus, vocatione efficaci & fide ac regeneratione, sed tamē boni maliq; in hac vita vnà versantur in externa Ecclesiæ societate, vt non possint humano iudicio discerni. Deus autē suo tempore illos planè separabit, sic vt ne quidem in externo Ecclesiæ contubernio, mali seu infideles vlli futuri sint.

Ergo separabit deus à peculio suo vasa iræ, & αὐτῷ τῷ ὄργῳ testabitur, sibi fideles suos tanquam filios carissimos: placere infideles verò, velut alienos, βδελυκτοὺς, seu abominabiles esse: id quod cõtra Atheos illos, demonstrandũ erant. Præclarè autem dixit Gregorius, Deus eligit, quos hic mundus despicit.

Oro autem filium dei, Dominum nostrum Iesum Christum, vt nos totos sanctificet, vt integer noster spiritus et anima et corpus

incul-

inculpatè in aduentum Domini nostri Iesu Christi seruentur, 1. Thess. 5. 23. simusq; Dei peculium, & pars sanctiagminis, quod vno ore & Spiritu frequenter celebrat Dei prouidentiam, iusticiā & misericordiam: declaratā Ecclesiæ Dei sanctificatione de Mundo. Reipsa enim experimur, Deum è cœlis respicere, videre omnes filios hominum: ex habitaculo sessionis suæ prospicere super omnes habitatores terræ. Formauit enim corda eorum & considerat omnia opera eorum, Psal. 33. 13. 14. 15. Meminerimus ergo de militante Ecclesia præclarè à beato Apostolo dictum: In magna domo non sunt tantùm aurea vasa & argentea, sed etiam lignea ac testacea: & alia quidem ad decus, alia verò ad dedecus. Itaque à his nos expurgemus, vt simus vasa ad decus, sanctificata & accommoda vsibus Domini, & ad omne opus bonum comparata, 2. Tim. 2. 20. 21.

VERSVS XVIII.

Tunc conuersi videbitis inter iustum & improbum quid intersit, inter colentem Deum, & eum qui non colit ipsum.

Est in hoc versu tacita Antecedentis & Cōsequentis Antithesis. Militante Ecclesia, cum viuis eius membris multa putrida membra sint permista, non facilè est hominum delectum instituere: facit etiam caritas, quæ omnia sperat & suffert, vt benē speremus de multis, tantisper donec in vitæ huius via versantur. *Antithesis.*

Sed vbi ad triumphum in cœlis peragendum, excitata & producta fuerit Ecclesia, tum demum coram tribunali Christi omnes homines sistentur, & sicut paleæ à tritico, ita infideles à fidelibus segregabuntur, vt hi semper cum Domino nostro Iesu Christo beatissima consuetudine fruantur, illi autem pœnas sempiternas dent. Pulcrè hoc argumentum tractauit, auctor libri Sapientiæ, toto cap. 3.

Ex hoc autem versu colligere licet, quid de nobili illa quæstione sit statuendum, Reuerâne, an verò opinione solùm iusta & iniusta: honesta & inhonesta, differant. *Decisio quæstiōis.*

Si enim iusticiæ caussa, iusti Deo sunt amabiles: iniusticiæ autem nomine, iniusti homines eidem exosi sunt: quis dubitet Deum iusticia delectari, iniusticia autem grauiter offendi? Iuxta Regulam, Propter quod vnumquodque tale, illud magis tale. Ea verò quibus delectatur Deus, his per omnia cum ijs pugnant,

 quibus

quibus grauissimè offenditur. Itaq; non est cur opinione solùm illa inter sese differre putemus. At rectè dixit ille: ἐσθλὸν τόγ' ἐσθλὸν κἂν δοκῇ κἂν μὴ δοκῇ.

VERSVS XIX.

Nam ecce dies ille adueniet ardens tanquam fornax, quo erunt omnes superbi, & omnes facientes improbitatem stipula, & inflammabit eos dies ille venturus, ait Iehouah exercituum, adeò vt non derelinquat eis radicem aut ramum.

Prædixerat Dominus, futurum vt in die iusti iudicij sui, innotesceret discrimen inter pios & impios: quod nunc furenter negarent Athei & Epicurei illi.

Subiungit autem eius Sententiæ ἐργασίαν, & de sempiternis Reproborum pœnis, in hoc 19 versu, in sequente autem, de Electorum felicitate, pronunciat.

Summa huc redit. Sicut se habent stipulæ ad ignem: ita se habituri sunt reprobi ad diem iudicij diuini.

Atqui stipulæ statim atq; senserint ignem, absumuntur.

Itaq; & Reprobi non consistent in iudicio, sed à Deo qui ignis consumens est, absumentur.

QVOMODO AVTEM ABSVMENTVR?

Non vt omninò desinant esse, in nihilum videlicet redacti: sed vt desinant in externo cœtu Ecclesiæ versari: & sic, vt felicitatis æternæ expertes, vitam infelicissimam in æternis agant tormentis & tenebris exterioribus. Præstabat autem illos non esse, quam sic esse comparatos: si inquam, ipsos spectes, non autem Deum, cuius iusticiam iustis atheorum hominum supplicijs, illustrari æquum est.

VERSVS XX.

Lectio 26. 16. Noueb. *Exorietur autem vobis, ô timentes nominis mei, Sol iusticiæ, cum curatione in alis ipsius: & procedetis, augescetisq́, vt vituli saginarij:*

Hîc de felicitate Sanctorum, quæ resuscitationem eorum à mortuis subsequetur, Dominus loquitur. Illustrabitur autem sen tentia, si quis cõferat primũ Christi aduentũ cũ secũdo. De primo eius aduentu, locutus est Esaias, cap. 60. 1. Surge, illuminare: quia venit lumen tuum: & gloria Iehouæ super te orta est, 2. Quia ecce

tenebræ

tenebræ operient terram,& caligo populos:super te autē orietur Iehouah,& gloria eius super te videbitur.3.Et ambulabunt Gentes ad lumen tuum, & Reges ad splendorem ortus tui. Si primo Christi aduētu illustrata est Ecclesia,multò magis illustrabitur secundo eiusdem aduentu: qui modis omnibus illustris & gloriosus erit,non autem humilis,vt prior ille fuit.

Christum Iesum Dominum nostrum, Iusticiæ solē vocat Propheta,quia is lux illa mundi est,quam qui sequitur,non ambulabit in tenebris,sed habebit lumen vitę,Ioan.8.12.nec vnquam hic Sol occidit,Isa.60.20.Sanitatē aūt in alijs suis habet. Vt enim Sol radijs immissis illuminat & calore suo fouet res sublunares: ita Christus sub vmbra alarū suarum nos viuificat, fouet & sustētat.

Docendi autem caussa,instituemus,primò comparationē Solis à deo cōditi,vt sit luminare maius in dominium diei,Gen. 1.16.& solis iusticiæ:deinde,Antithesin vtriusq; solis.

1. Sol lucem infert rebus humanis,& oculos illustrat:Christus Iesus non solùm luce naturæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,Ioan.1.9.sed etiam luce gratiæ illustrat corda piorum.Iuxta illud,excitare qui dormis, & surge à mortuis: & illucescet tibi Christus,Ephes.5.14.

2. Sol viuifico calore,fouet, alit & reficit,non solùm animantia, sed etiam terrę arborumq; fructus,quos etiam ad maturitatē perducit,id quod luna, cuius radijs botri,prouerbio teste, non maturescunt,non pręstat. Christus Ecclesiam suam viuificat, enutrit & benignissimè fouet. Ephes.25. Vnà viuificauit nos per Christum. Item cap.5.29.

His duobus comparationis membris contenti, addamus iam & Antithesin.

1. Sol ille cōmunis exoritur super bonos & malos, Matth 5.45. At Sol iusticię solis bonis illucescit:vt ex Malachię oraculo,quod iam in manibus habemus,liquet.

2. Sol oritur & occidit,Eccles.1.5. At sol iusticiæ nescit occasum Isa.6.20.

3. Sol communis huic animali vitæ tuēdæ & fouēdæ seruit:sed iusticię Sol spirituali vitę cōsequēdę,& in ęternū retinēdę,ꝓdest,

4. Sol ille cōmunis est creatura dei,illustrās superiora et inferiora: sed sol iusticię Christus Iesus est Cōditor & conseruator illius, (si quidem Deitatem eius spęctes) qui nō in hac solùm,sed etiam

in æterna vita, mentes piorum illuminat & magis magisq́; illustrabit.

QVIBVS ET QVANDO EXORIETVR SOL IVSTICIAE?

Timentibus Iehouam, id est, fidelibus hominibus, qui Deũ verè reueriti sunt, ad æternæ vitæ consuetudinem traductis: ac Dei contemtoribus iam in tenebras exteriores relegatis: in quibus est fletus & stridor dentium, Matt. 8.12.

QVID AVTEM ILLIS PRAESTABIT?

Duo hæc inæstimabilia beneficia, Lucem agnitionis suæ, & animi medicinam, seu illuminationem & viuificationem.

De priore autem beneficio Christi, loquitur, cum ait: Exorietur vobis Sol iusticiæ. Iis enim qui in tenebris quondam positi erant datum est videre lucem magnam: & positis in regione & vmbra mortis, lux exorta est, Matt. 4.16. cum illis annunciatum esset Euãgelium regni. Ideo & filij lucis nuncupantur, Eph. 5.8.

De posteriore autem beneficio loquitur, cum addit: Cum curatione in alis ipsius. Sententia est: Sicut sol radios spargens, luce & calore sublunaria hæc corpora fouet & recreat: ita Christus Iesus, Sol iusticiæ, spargens radios iusticiæ suę in corda nostra, morbis nostris, quibus peccati caussa laboramus, medetur, & iusticiæ dono nos viuificat: alligat contritos corde. Isa. 61.1. ac vibice suo nos sanat. 1. Pet. 2.24.

QVIS ERIT AVTEM TANTORVM BENEFICIOrum fructus?

Procedetis, inquit Dominus, augescetisq́;, vt vituli saginarij. vt enim hi, si sit congruentis pabuli larga copia, crescunt et saginãtur maiorem in modum: ita pij, Deo illis magis magisq́; benedicente, proficiunt & auctiores fiunt.

Etenim si in via huius vitæ versantes, adolescunt per omnia in illum, qui est caput, nempe Christum, Eph. 4.15. quantò magis in patriam cœlestem traducti, lucis agnitionis Dei, dilectionis erga Deum & consortes salutis, incrementa, habituri sunt, cum Deus tum futurus sit omnia in omnibus? 1. Cor. 15.28. Ideò cum Paulo Apostolo dicimus: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Postquam autem aduenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est abolebitur. Quum essem infans, vt infans loquebar, vt infans cogitabam, ut infans sentiebam: postquam autẽ factus sum vir, aboleui quæ infans erant. Cernimus enim nunc per speculum

culum & per ænigma, tunc autē coràm cernemus: nūc cognosco ex parte, tūc aūt cognoscā prout edoctus fuero, 1. Cor. 13. 9. 10. 11. 12.

VERSUS XXI.

Et conculcabitis improbos, nam futuri sunt cinis sub plātis pedum vestrorum, quo die ego effecturus sum, ait Iehouah exercituum.

Miram rerum humanarum mutationem & conuersionē, prænunciat Dominus. Nunc quidē Ecclesia humi prostrata, calcatur impiorum hominum pedibus, & omnis generis iniurijs & contumelijs est obnoxia: sed olim, cōuersis rerū vicib. Ecclesia victrix & triumphans, calcabit hostes suos, & florebit gloria & læticia sempiterna.

Quod aūt de Christo tanquam capite dicitur, Psal. 110. 1. Ponā hostes tuos scabellū pedibus tuis: idē hoc loco de eiusdem mystico corpore, quod est Ecclesia, ea loquendi formula affirmatur, qua sancti benè de se meritos recipere in æterna tabernacula, Luc. 16. 9. &, Mundū & Angelos olim iudicaturi, perhibētur, 1. Cor. 6. 2. 3.

Per quem enim sancti, Principē mundi, qui agit in hominibus contumacibus, calcabunt, per eundem & hos à se victos conculcabunt & proterent.

Atqui deus, pacis princeps, conteret Satanam sub pedes sanctorum citò, Rom. 16. 20.

Idem ergo etiam improbos calcabit sub pedes seruorū suorum.

Vetus autem est prouerbiū, Flos cinis, quod de improbis illis rectè dixeris, Etenim, vt ait Psaltes, vidi impium fortem, & virescentem instar lauri viridis, Et transiui, & ecce non fuit: & quæsiui locum eius, & non est inuentus: Psal. 37. 35. 36.

Sed nō solùm prima mors florē illorū absumit: verumetiā secunda mors, ex gloriosis ignominiosos facit & omniū hominū miserrimos, abiectissimos & infelicissimos, Deoque ipsi & sanctis eius abominabiles.

Ethopœia hæc digna est, quæ diligenter à nobis obseruetur.

Nunc quidē Sancti clamāt, imposuisti, domine, homines super capita nostra, ingressi sumus ignē & aquā, Psal. 66. 12. &, Multū angustijs affecerūt nos ab adolescētia nostra: super dorsum cuiusq; nostrū arauerunt arātes, prolongauerūt sulcos suos, Psal. 129. 1. 2. 3.

Sed enim mutationes sunt dexteræ Excelsi, id est, deus mirādo

modo rerũ vices moderatur:& idẽ olim efficiet, vt improbi pedibus Piorum subiecti, conculcẽtur. Atq; tum cõplebitur illud Christi Iesu domini nostri (cui nos & in crucis & in gloriæ communione conformari oportet) oraculũ: Amen, Amen dico vobis, flebitis vos, & lamentabimini, mundus autẽ gaudebit: vos autẽ tristes eritis, sed tristicia vestra euadet in gaudium, Ioan. 16. 20.

Pro summo itaq; gaudio ducamus, fratres mei, quoties in tentationes varias inciderimus: & vt nunc fieri experimur, nõ solum palàm Antichristianorum persequutionem sustinuerimus: sed etiam à Conseruis cæsi fuerimus. Etenim fidei nostræ probatio patientiam parit: Iac. 1. 2. 3. & dabit deus vt aduersa omnia nobis adiumento sint ad bonum.

Meminerint autẽ Pij, ea quæ hactenus, de præmijs & felicitate iustorũ: & de pœnis impiorum hominũ sunt dicta, plurimũ facere ad confutandam Epicureorũ impiã opinionẽ, quę fingit perinde esse siue quis deum colat, siue non colat: quum melior ipsis videatur conditio eorum qui deum contemnunt, quàm eorum qui eundem reuerentur.

VERSVS XXII.

Recordamini Legis Mosis serui mei, cui præcepi in Choreb (perferenda) ad totum Israelem statuta & iura.

Trãsit Propheta noster à Iudiciali parte oraculorũ (cuius postrema contestatio fuit, aduersus Atheismum & Epicureismum) ad Suasoriam, quæ ordinẽ postrema est.

Hortatur autem Iudæos, primùm quidem ad legis diuinæ studium & seriam meditationem & obseruationẽ, deinde verò, ad illorum temporum, quibus Mesiæ benedicti exhibitio instabat, obseruationem, vers. 23. 24.

DE LEGIS OBSERVATIONE.

Non sine summo consilio, legis suæ studiũ à populo suo requisiuit & postulauit dominus. Anteq̃ enim venisset fides, sub legis præsidio tenebãtur Patres, cõclusi in eam fidẽ quæ erat reuelãda. Itaq; lex pædagogus eorũ erat, in Christũ respiciens, vt ex fide iustificaremur, Gal. 3. 23. 24. Sic autem ratiocinatur noster Propheta Malachias, argumento à caussis ducto:

Totum Israelem, recordari (hoc est, studiosissimum & obseruantissimum esse) oportet eius sapientiæ, quæ interueniente ministerio

misterio fidelis serui in domo dei, videlicet Mosis, non sine stupendis prodigijs & miraculis, à Iehouah exercituum est sancita & promulgata, vt non quibusdam solùm in eo populo, sed toti Genti innotesceret.

Eiusmodi autem est Lex Mosis. Generatim autē loquens, complectitur Decalogum & leges ceremoniales (quarum multę Christi typos continebant.) & ciuiles.

Par est ergo totum Israelē Legis recordari, &c.

Huc aūt plurimū facit illud Christi dictū ad Iudęos: Si crederetis Mosi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit. Quòd si illius scriptis nō creditis, quomodo verbis meis credetis? Ioā. 5. 46 47.

VELIM TE ILLVD MIHI ACCVRATE EXPONERE QVIBVS *in locis, & quot modis Moses de Christo sit loquutus?*

Moses, vtramq; docendi formam, & illam quæ expresso verbi præconio constat, & est ἐμφατικὴ καὶ γραμματικὴ: & μυστικὴν καὶ συμβολικὴν, adhibuit, cum de Iesu Christo loqueretur. In hac autem temporis angustia, contenti erimus hisce exemplis.

Semen mulieris conteret caput serpentis, Gen 3. 15.

Benedicentur in Semine tuo (ὅς ἐστι Χριστὸς. Gal. 3. 16.) omnes Gentes terræ. Gen. 22 28.

Non recedet sceptrum ex Iuda & Legislator ex pedibus eius, donec veniat Siloh, & ei erit aggregatio Gentium, Gen. 49. 10.

Prophetam (sic κατ' ἐξοχὴν, Christum vocat) suscitabo illis de medio fratrum suorum, Deut. 18. 18. Ioan. 1. 21. 25. 46.

Symbolicè autem de Iesu Christo Moses testatus est, quum præscriberet leges de Agno Paschali, de sacrificio propitiatorio. Item, quum describeret oblationem Isaaci, quæ fuit typus piacularis Sacrificij Christi, quod semel in ara crucis ad nos cōsummandos, fuit oblatum. Gen. 22. Sed de his aliàs quoq; dicetur.

VERSVS XXIII.

Ecce ego missurus sum Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini maximus & reuerendus.

Initio paucula de vocibus quibusdam dicam: deinde, σὺν Χριστῷ, ad sententiam versus istius eruendam & illustrandam, accedam. Dominus Iesus benedicat instituto nostro.

Ioannes Baptista est ille Elias propheta. Hanc propositionem figuratam esse, rectè censuit Philippus Melanchthon, cuius hæc

verba sunt. Ioannes est Elias, id est, similis Eliæ, gerens simile munus, emendans Ecclesiam magno impetu Spiritus. Confirmatur hæc expositio verbis Angeli, Luc.1.16.17. Multos filiorū Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum. Nam ipse præcedet in conspectu eius, cū spiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda Patrū in filios, & rebelles ad prudentiam iustorum: vt paret Domino populum instructum.

Dies domini magnus & reuerendus, dicitur id tempus, quo Deus in carne patefactus est. Id autem ex eo colligo, quòd primi aduentus Christi præcursorem Ioannē Baptistam fuisse, ex ipsius Christi testimonio liquet: cui suffragatur illa vox Ioānis Baptistæ: Nō sum ego Christus, sed missus sum q apparere corā eo, Io.3.28.

Iam ad sententiam ipsam accedam, & syllogismi instrumento adhibito eam complecti studebo.

Non maior est habenda ratio Prodromi, quàm ipsius Domini: Legati, quàm Principis ipsius.

Atqui decet pios omnes, Dei legatum Ioannē Baptistā, exspectare, & cùm aduenerit, cupidissimè excipere: tum quòd legatione Dei patris nomine perfungetur, tū etiā quòd Agnum Dei tollentem peccata Mundi, digito monstrabit, Ioann.1.36.

Multò igitur maiore cum desiderio, Messiæ ipsius exhibitionē præstolari conuenit.

Quod enim dies, seu tempus aduentus illius, maximum & reuerendum futurum esset, vel illud argumēto est, quod dixit Christus ad Discipulos suos: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, multos Prophetas & Reges cupiuisse videre quæ vos videtis, nec vidisse: & audire quæ auditis, nec audiuisse. Intelligatur autem hoc secundum quid, non simpliciter. Non enim sancti Patres, Reges & Prophetæ, prorsus ignari fuerūt Christi, quem spiritu viderunt, Ioan.8.56. cum Iesus Christus sit hodiè, heri idē & in secula. Hebr.13. 8. sed non fuit illorum temporibus, tanta lux fidei & totius cœlestis doctrinæ, quanta esse cœpit, cum Euangelium regni Christus Dominus promulgare, & admirandis operibus, ac summa vitæ sanctimonia, confirmare cœpit.

VERSVS VLTIMVS.

Vt conuertat cor Patrum ad Filios, & cor Filiorum ad Patres ipsorum: ne veniens percutiam terram anathemate.

Desti-

Destinatum legationis Ioannis Baptistæ, hoc versu indicatur. Nos de euentu, qui vaticiniorum est interpres, breuiter agemus.

Tempore primi aduentus Iesu Christi, Iudæorũ vulgus in contraria studia scissum fuit. Erant Pharisæi, Sadducæi, Essæi, Herodiani & alij, qui sese ἐξοχὰ τῶν ἄλλων positos putabant. ab his pendebat ignobile vulgus, diuersis Sectis adhærens. Oportuit itaque Ioannem dissidentium animos coniungere & conciliare. Id autẽ fecit, cum omnes ad pœnitentiam agendã, & ad fiduciam remissionis peccatorum cõcipiendam, hortaretur. Matt.3. Luc.3. Mar.1.

Fuit hic vnus Ministerij Ioannis Baptistæ finis: ad quẽ accessit, superior finis, ne videlicet terra pcuteretur anathemate. Percuti anathemate Terra dicitur, cũ nemo ex eius incolis, segregatꝰ ad participationẽ sortis Sanctorũ in lumine. Nõ aũt percuti anathemate dicitur, cũ ex colluuie reproborũ, Electos suos excerpit Deus, & æternæ vitæ hæredes facit: ac mirabiliter sanctificat & tuetur.

Exposuit eandem loquendi formulam Iesaias, cap. 24.1. Ecce dominus euacuat terram, & desolare facit eam, & subuertet faciẽ eius, & dispergere faciet habitatores eius. 2. Et erit sicut Populus, sic sacerdos, &c.

OBIECTIO, NON EST HOMINIBVS TRIBVENDVM ID, *quod solius Dei proprium est. Dei solius est conciliare animos hominum piorum. Ideo dicitur, Deus pacis auctor, Phil. 4.9. Non igitur rectè tribuitur idem* συνέργημα *secundo Eliæ.*

Respondeo, Maior vera est secundum quid, si videlicet eas Dei actiones, quas immediatè efficit, spectes: non autem simpliciter, si eiusdem actiones quas non ἀμέσως efficit, subordinatas caussas, consideres. In Minore illud notandum, Deum ut αἴτιον κύριον, pacis esse auctorem: Ministros autem Dei, vt caussas famulantes & organicas, de quibus dicitur: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Pacificos vocat, non eos solùm qui paci student: sed etiã qui pacem inter dissidentes sancire student. Hi εἰρηνοποιοὶ dicuntur, Matth. 5.9.

QVOMODO AVTEM CONVERTVNTVR CORDA DISSI*dentium, ut* τὸ ἓν φρονεῖν possint, & studeant?

Cum conuincuntur, quod & peccati, & iustificationis, & regenerationis ratione, modis omnibus pares sint. Iuxta dicta.

1. Quid igitur? præcellimus? Nullo modo: nam antè criminati sumus Iudæos & Græcos omnes esse sub peccato, Rom. 3.9.

2. An Iudæorum deus solùm? annòn & Gentium? certè & Gentium. Siquidem vnus deus est, qui iustificabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem, Rom.3.29.30.

3. Nam quicunq; in Christo Iesu baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus neq; Græcus, &c. Gal 3.27.28.

VNDE QVAESO ISTA OMNIA COLLIGIS?

Ex Sanctorum communione, de qua Apostolus noster, ait, Studentes seruare vnitatem spiritus per vinculum pacis. Vnum est corpus & vnus spiritus, sicut & vocati estis in vnam spem vocationis vestræ. Vnus dominus, vna fides, vnum Baptisma, Vnus deus & Pater omnium, qui est super omnia, & per omnia & in omnibus vobis. Eph.4.3.4.5.6.

Cæterum ex his colligere licet quanti sceleris rei sint, qui distrahunt Ecclesiam in sectas, de quibus Androchdis & tubis bellorum ciuilium in Ecclesia, Paulus grauissimè pronunciat, & fugiẽdos testatur, Rom.16.17.18. Precor autem vos fratres, vt speculemini dissidiorum & scandalorum auctores, præter doctrinam quã vos didicistis: & declinetis ab eis. Nam qui eiusmodi sunt, domino nostro Iesu Christo non seruiunt, sed suo ventri: & per blandiloquẽtiam & assentationem corda hominum minimè malorum seducunt.

Hæc habui, quæ luctuoso hoc tempore, de Malachiæ prophetæ concionibus dicerem. Vt autem immortales immortali Deo gratias habeo, quod pestilentia non parum sæuiente, nos clementer protexit & conseruauit: ita eundem supplex per sanctum nomen Iesu Christi oro, vt publicas & priuatas calamitates clemẽter mitigare, & nos ad gloriam suam tueri dignetur, vt vel hoc ipso tempore placidè in ipso obdormientes, ad Christũ migremus & cum eo in æternum simus: vel si longior vitæ vsura nobis destinata sit, dicamus cum Dauide: Non moriemur, sed viuemus: & opera Iehouæ narrabimus, Psal.118.17. Basileæ 26. Nouembri. 1582.

):(

Πάντοτε δόξα θεῷ.

PIO, CANDIDOQVE LECTORI.

VIsum est mihi, inter crebra funera hoc tempore versanti, & è numero Auditorum meorum, quosdam in cœlestem præmittenti Academiam, etiam dulcissimis meis liberis, τὰ νομιζόμενα, *paucis præstare.*

DE IOSVA FILIOLO, QVI NATVS AN. D. 1571. 23. Febr. infans obijt. Anno D. 1571. 25. Maij, Rœtelæ, & sorore eius Anna Polybia, quæ edita est in hanc lucem, Anno Domini 1572. 13. Martij, & adhuc superstes est, Tetrastichon V. CL. Martini Crusij.

Ὥσπερ Ἰωσύαν, σέο πρωτότοκον, φίλον υἱόν,
Ἰησοῦς ἀθὺς σῶσε μινυνθάδιον·
οὕτω Πουλυβίην πθέτω σοι, θυγατέρ' ἐσθλήν,
ἐνθάδε πουλιβίον, κεῖθ' ἀπεραντόβιον.

DE EVA, NATV MINIMA FILIOLA, QVAE nata est Anno Dn. 1579. 15. Aprilis obijt, An. Christi 1582. Martij 25. Basileæ.

PII MANES EVOLAE GRYNEAE.

Quid cari, nimium fletis mea fata parentes:
Mors quasi fila mihi ruperit ante diem?
Non cadit ante diem Naturæ debita soluens,
Firmaq; spes uitæ quem melioris alit.
Euola uestra fui: primæ genitricis at EVAE
Filiola: Hanc matrem quid uetat ergò sequi?
Nescitis? Mortalis eram: Immortale sequendo,
Quod mortale fuit, funere deposui.
Sat lacrymis luctuq; datum: Vita altera restat,
In qua non duri funeris author erit.
Læta ibi uiuorum Genitrix numerabit amica
Pignora: Tunc uobis Euola surget humo.

GREGOR. FRISCHIVS Vratislauiensis, ipsa Adæ & Euæ primorum parentum die. Anno 82. Athenis Helueticis.

